NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 G
7 h

13.4.a.46

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 G
7 H
13.4.a.46

Digitized by Google

XIV. 4. 6

Digitized by Google


Ratio
Mars
IOHANNIS
á
FELDEN.
I.V.D.
ANNOTATA
in
HVG. GROTIVM
De Iure
Belli et Pacis.
Perdit
AMSTELODAMI
Apud Iodocum Ianßonium.
1653.

BIBLIOTECA

Google

Sereniſſimis & Celſiſſimis Principibus ac Dominis

D^NO. AUGUSTO,
D^NO. CHRISTIANO LUDOVICO,
D^NO. GEORGIO WILHELMO,

Ducibus Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Dominis ſuis Clementiſſimis.

Hoc humillimè

D. D. D.

JOHANNES à FELDE I.U.D.

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLE

S.

QUemadmodum in omnibus negotiis comparatum eſt, ut niſi rationem ordinis habeas, nec ritè ſuſcipere nec dextrè ac feliciter, ad finem ea perducere poſſis:ita & ſapientiæ ſtudioſis convenit à primis ad ſequentia progredi, graduſque, quibus in faſtigium ex imo exiti oportet,obſervare. Si enim neglectis mediis ſumma affectes, nec proficis aliquid, & quorſum pedem feras præcipitas & impingis. Qui olim in Græciâ philoſophabantur, cùm in addiſcendis linguis nec macerare ætatem nec per ambages ingredi,quò rectà ac ſtatim per-

venire licebat, neceſſe haberent; à mathematicis ſtudiis exordium philoſophiæ petebant; nec quiſquam ad auditorium philoſophi aſpirare poterat, niſi prius illorum cognitione pectus locupletaſſet. Nunc cum omnis philoſophia peregrinis linguis involuta ſit, nucem frangere debent qui nucleum comeſſe volunt, &, quæ cauſſa eſt fugientis modò ſapientiæ, neglectis mathematicis ſtudiis, ad cognitionem ejus linguas præparare. Hæc quando mecum reputo, maximas meis præceptoribus ago gratias, qui, quod alii literis inculcandis dare operæ ſolent, in mathematicas diſciplinas mihi tradendas impenderunt, & ut fideliter iis incum-

cumberem me ſtrenuè hortati ſunt: mihi verò gratulor, quòd monitis ipſorum paruerim, coërcentibus licet patronis incenſum jucunditate illarum diſciplinarum ac flagrantem animum, quaſi vehementius quàm cautè eaſdem appeteret. Summus autem iſte amor erga hæc ſtudia effecit, ut peradoleſcentulus alios in inferioribus mathemaſi, uti vocant, informarem, & ad ſuperiora feliciter progrederer; eaque debito quoque modo ut tractarem, diſceptationes quædam commodè tunc agitatæ affecerunt: cùm enim de demonſtrationum utilitate in diſciplinis philoſophicis Wittebergæ, quam tunc ſtu-

diorum meorum magiſtram habebam, moverentur controverſię; aliis analytica poſteriora quaſi minus utilia impugnantibus, aliis ejus cauſſam agentibus, ſtimuli mihi addebantur curam majorem demonſtrationum habendi, quàm fortaſſe ante factum eſſet. In memoriam ergò mihi revocabam præcepta Organi Ariſtotelici, quæ, ut pueri verſus Empedoclis, in ſcholâ patriâ recitare didiceram, & aucto per ætatem judicio, in formam, uti vocant, ſyllogiſmi compoſitas mathematicorum demonſtrationes ad ea examinatam. Eoque peracto labore ante annos tredecim à SR^mis Ducibus Brunſv.

&

& Luneb. profeſſioni Mathematum in Academiâ Juliâ prȩfectus, uſum ſcientiarum mathematicarum in philoſophiâ tradere cœpi; habitâque diſputatione publicâ de Mathematicis ſcientiis, demonſtravi: uti analyticorum cognitionem ad ſcripta acroamatica Ariſtotelis pervolvenda, ita cultum mathematicarum ſcientiarum ad analyticarum lectionem neceſſarium eſſe. docui præterea, tria illa hominum ſtudiis liberalibus incumbentium genera, philoſophorum ſcil. dialecticorum & ſophiſtarum, ob neglectum ſtudii mathematici hodiè non ſatis dignoſci poſſe; it. multos qui nunc philoſophi vo-

cantur, ne quidem ad ſophiſtarum acumen accedere; it. pro ſummis philoſophis malè haberi, qui ex duabus veris pręmiſſis ratione terminorum ad formam ſyllogiſmorum abſolutorum diſpoſitis ſua problemata confirmant, propterea, quod ſapientię non ſatis ſit, non falſa habere decreta, ſed fixa & ſtabilia, quæ nulla ratio movere queat, idque ita ſentiente Ariſtotele *lib.* 1. *poſter. cap.* 6. Hęc tunc non tam improvidè quàm libertate philoſophandi allectus publicè jactabam. Nec enim falſas opiniones magnorum virorum admirari & adulari, aut in dubiis acquieſcere, ſed liberum

eſſe & ſolutum, integraque judicandi poteſtate dignum philoſopho arbitrabar. Adverſa, ſi quæ inde oriri poſſent, patientiâ & ſummâ, (quæ ex contemplatione percipitur,) voluptate ſuperanda eſſe, nec tantum incommodorum, cumulari poſſe, quod hiſce inſtructo vincere & ſupergredi non liceat, firmiter mihi perſuaſeram. Solebantur & me aliorum exempla, quos invidia, contumelia, calumnia non æquè fregiſſe quàm erexiſſe à teneris obſervaveram. Nec in his ſubſtiti, ſed cum viderem bello temporumque iniquitate ſuperiores facultates, & inter has quàm maximè Juriſprudentiam, cujus

fundamenta in Scholâ patriâ multò antè jeceram, per compendia tractari; laborem meum & ad hanc extendere volui, idque operam dare, ut certi quid adhibitis analyticis præceptis inquirerem. Etſi verò cum multis difficultatibus obſtructa cognitio, tum in ipſis retus inconſtantia materię obſcuritatem ſæpè objiceret, ut ferè me invenire poſſe quod cupiebam diffiderem: non tamen defeci nec ſtudium reliqui. Cenſebam enim quærendi defatigationem turpem eſſe, quando quod queritur pulcherrimum exiſtit. Experiri tamen ex iſto labore gloriam dum viverem nunquam animus fuit, ſed quicquid eſſet laudis in
ſerum

ſerum poſt mortem meam tempus, quo ab odio & invidiâ me liberum ſciebam, differre conſtitui. Et hoc pacto inglorius propè ad initia ſenectutis per ſilentium eveni, rerum quinetiam à me ſummo labore inventarumlaudem ad alios quandoque cedere paſſus ſum. Verum cùm nec ſic extra invidiam calumniaſque mihi vivere licuerit, nato ex lenitate & patientiâ contemptu & ex hoc porrò in adverſariis ſpe ſupprimendi: (Non enim veriti ſunt quidam Sereniſſimorum Ducum Dominorum meorum Clementiſſimorum Conſiliariis narrare, me ex Euclide principia Juris petere & Juventutem ineptiis iſtis planè corrumpe-

rumpere) ne ſilentium, quod mihi profuturum putabam, in contemptum meamque perniciem erumperet; deponendum illud & tractatus quoſdam, quibus fidem meam in Juventute erudiendâ SR^{mis} Principibus Dominis meis Clementiſſimis probarem, & mendaciis occurrerem, edere viſum fuit. Non dubito adverſarios meos operam daturos, ut quod hac vice publici Juris facio, in varias incurrat reprehenſiones. Temeritatem mihi objicient, quod cum tanto viro congredi conatus ſim, cujus copia dicendi ne quidem clariſſimorum Oratorum flumini cedit. Fore tamen & amicos confido, qui, ſi non eloquentiam, quâ

planè deſtituor, aut ingenium, cujus mediocritatem agnoſco; veri tamen curam commendaturi ſint. Simplicitati dictionis facilè ignoſcent, qui nil niſi veritatem ſectantur: elegantia enim noctem potius rebus mente perſpiciendis offundit, quàm lucem addit, geminatque philoſopho labore, dum & ſibi, ne inanium verborum vi conturbetur, cavere, & in argumentorum pondus animum intendere tenetur. Si qui me confutare auſi fuerint, eoſque invidos vituperatores potius quàm veritatis amatores deprehendero; non reſpondebo iiſdem, ne repellendis convitiis attentus, quæ præclara philoſophando præſtare interea poſ-
ſem,

ſem, regligere cogar. Negotium mihi cum iis erit, quos non ita commoda mea oppugnare quàm pro veritate pugnare intellexero. Hûc enim meus tendit labor, ut antequam ſcientiam aliquam de Jure gentium conſcribam, illudque à primo deducam fonte, cum eruditis quibuſdam circa ea, quæ à ſummo Viro Hugone Grotio hoc in ſtudio conſcripta ſunt, diſceptationes quoſdam inſtituam. In uteramque enim partem dicendo tandem quod verum eſt, adhibito demonſtrandi artificio, elicere & exprimere decet. Hic verus ille modus eſt, quo quę involuta ſunt aperta, reddi poſſunt, nunquam contemplantibus negligendus.

Quid

Quid enim eſt quod fidem magis confirmet, quàm quod ſenſibus apprehendimus? at multa quæ veritati obſtant removenda ſunt, ut de eâdem ſecuri ſimus. Itaque, ut ait Tullius, lumen mutari ſæpè volumus & ſitus earum rerum gens intuemur, & intervalla aut contrahimus aut diducimus, multaque facimus uſque eò, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii. Similia circa intellectum dubitando inſtituenda ſunt, antequam ſtabilem certamque ſententiam adipiſcamur. Non exactè omnia vitioſe Grotium nullus dubito, idque hac ratione mihi perſuaſum habeo. Sunt enim tria, ex quibus abſolutus philoſophus æſtimandus eſt;

eſt; Experientia rerum, Sagacitas in conjiciendis cauſſis & Scientia demonſtrandi: non diffiteri verò poſſum, magnum illud & experientia & donis naturæ inſtructum Grotii ingenium artificio demonſtrandi caruiſſe. Cùm ergò quod omnibus ex partibus perfectum non eſt abſolvere ſtudeam: nemo bonorum mihi vitio hoc vertet, quin potius ſinguli operam dabunt, ut veritatem tam obſcuro argumento vallatam per diſceptationes mecum expugnent, & quam libertatem nobis Autor in fine præfat. ſuæ conceſſit, eâ ad ſuum, meum veritatiſque commodum mecum utantur. *Vale Lector benevole.*

NOTATA
ad
PROLEGOMENA.

IUs civile.] *Quærit Autor, quid ſit, quòd cum multi Jus civile uberrimis commentariis locupletarint, nullus penè in illud quod inter populos genteſque diverſas intercedit, quale triplex ſtatuit, naturale, divinum & conſuetudinarium, ingeni, dotes impenderit; ad quod tamen perficiendum, ſtudii dignitas, præſtantia & utilitas quemvis præclaro ingenio præditum invitare debuiſſet. Et quamvis rationes ipſe non contemnendas ſubjiciat; ſunt tamen longè graviores, quibus inſtructi à neglectu contra cultum ſtare poſſumus. Sterilem enim inopemus oportet eſſe ſcientiam, quæ à meris inſtitutis hominum profecta, ex ipſis naturæ fontibus hauriri nequit. Non verò dari peculiare Jus naturæ, quod*

rigatur populorum gentiumque ſocietas, ex his ferè principiis defenderes. Ponamus, jus eſſe quiddam ſocietatem conſervans, aſtipulantibus Ariſtot. lib. 8. Ethic. c. 11. *Cic.* lib. 1. offic. verb. De tribus autem. *&* Paulo in l. 11. ff. de Juſt. & jure. *Qui Jus civile definit, quod omnibus aut pluribus in quâque civitate eſt utile; ſeu, more noſtro loquamur, quod ſocietatem civilem conſervando, ſingulas partes ejuſdem felices ac beatas reddit. Nec à noſtrâ ſententiâ abhorrere Autorem, teſtatur definitio injuſti, quâ utitur* lib. 1. cap. 1. §. 3. lin. 5: *Quod ſit repugnans naturæ ſocietatis ratione utentium: niſi ergò nos fallit Ariſtoteles, qui* l. 6. topic. cap. 2. *definitionis bonitatem ex eo æſtimandam eſſe tradit, ſi & contrarii naturam indicet: Juſtum ex mente Autoris erit, quod conveniens eſt naturæ ſocietatis humanæ. Ex quibus clarè patet, Jus naturale, neceſſariò in ſocietatibus à naturâ profectis conſervandis occupatum, hauriri aliunde non poſſe. Et ſi qua datur ſocietas reliquarum naturalium perfectio & finis exiſtens,*

ſtens, eam in inquirendo Jure naturæ adhibere convenit. Quod enim eandem conſervat, ſingulis ejus partibus felicitatem tribuendo, Jus naturæ erit. Nam unumquodque exactè cognoſcimus, ſi quale illud ſit in perfectiſſimo gradu ſciamus. Quod ſi ergò civitas perfectiſſima ſocietas eſt, ſtatuente id Ariſtotele, cujus ſententiam amplectitur Autor. l. 1. c. 5. §. 23. *fruſtrà in eo perveſtigando gentium ſocietatem adhibebis: ex eâ enim conſequi tantum juris naturæ, licet, nihil ut amplius deſideres. Imò ſi gentium ſocietatem naturalem vocaveris, perfectione ſuâ civitatem privabis; ſequetur enim tendere eam ad aliam majorem naturâ, adeòque perfectam non eſſe. Apparet igitur ex hiſce, ſi quæ Ariſtoteles de civili ſocietate tradit, ex veritate nata ſunt, gentium ſocietatem non naturalem eſſe, adeoque nec in eâ Jus naturale quærendum.*

Cum verò fruſtrà] *Coarguendo Carneadis errorem, vult probare, dari jus quoddam naturæ conveniens, quo ſocietas gentium dirigatur: Cum tamen vis omnis argumen-*

torum nil præterea extorqueat quam aliquod Jus naturæ dari. An verò & in gentium ſocietate illud quærendum eſt, procul à cognitione remitum relinquit. Demus Autori, hominem naturâ quæ juſta & honeſta ſunt, etiam cum ſuo ſæpè incommodo ſectari, nec adeò proprium cujusque emolumentum dictare quid Juſtum ſit: Confirmabitur magis ſententia Ariſtotelis, qui in civili ſocietate jus naturæ, & quod ſimpliciter Jus eſt quærendo ſubſiſtit lib. 5. Ethic. c. 10. *Nam cum naturæ ſingulos homines produx erit partes ſocietatis civilis* l. 1. Polit. c. 2. *tendent etiam ſinguli ad totum, quodque ſui muneris eſt, non attento proprio commodo vel damno facient. Quod autem præter hanc ſocietatem eſt, naturale non erit: adeoque ſingulæ civitates propoſitum ſibi privatum commodum habebunt, & ſingula ex ſuâ utilitate æſtimabunt: neque enim ad totum id eſt Societatem gentium à naturâ æquè ac ſinguli patres familias ad civilem ſocietatem trahentur.*

Dein-

Deinde verò] *Maxima miſerrimaque nepitatis naufragia faciet, qui ſectatus Autorem, ad ſocietatem quamcunque indeterminatam trahi naturâ hominem ſtatuet: Sunt enim certæ tantummodo hominibus ſocietates datæ, quarum natura procreatrix eſt. Quòd ſi fidei promiſſorum pactorumque tenori innititur civitas, degenerem eam proneptem naturæ eſſe neceſſe eſt, quam tamen præcipuum præ reliquis ſocietatibus perfectiſſimumque ejus partum Ariſtoteles, & omnes hactenus cum ipſo ſapientes ſtatuerunt. Licet enim Concedamus, quod tamen ſimpliciter verum non eſt, ut infrà patebit, naturam præcipere, pactis ſtandum eſſe, non tamen pactis comprehenſa Juris naturæ ſunt, niſi Jus legitimum cum jure naturæ confundere velis. Falſum etiam eſt, quod in democratiâ major pars, in Monarchiâ unus excellentiſſimus, in Ariſtocratiâ opſimates deternunt, ex pacto ſervandum eſſe: natura enim conveniens eſt, ut quod à prudentiori proficiſcitur imprudentiori prævaleat.* Ariſt. l. 1. Polit. c. 5, *ubi verò omnes ſunt*

 æquales

æquales, major numerus plus prudentiæ arguit: In Ariſtocratia & Monarchiâ ſimiliter ex prudentiæ proportione æſtimatur Imperium vid. Ariſt. l. 3. polit: *Concludo ergò iisdem pene verbis, quæ Autor habet* l. 2. c. 5. §. 17. *naturaliter ſecluſis pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, partem majorem in ſocietatibus, ubi omnes æquales ſunt, Jus integri habere. In Monarchiâ & Ariſtocratiâ ex prudentiæ prærogativâ.*

Sed ſicut] *Triplex videtur Autor ſtatuere jus, naturale, gentium & civile, imitatus fortaſſe ICtos Romanos, qui jus privatum & quidem longè aliâ de causâ ita dividunt: (verſatur enim Jus privatum in dirigendâ ſocietate, quàm vel communem cum brutis homines habent, qualis eſt ſocietas conjugalis; vel propriam quidem hominum, omnium tamen communem, quia non ſoli cives contrahunt, ſed & cives cum peregrinis; vel propriam civium; ſolent enim in contractibus peculiaria quædam interdum ratione ſui ſtatus cives obſervare) Ariſtoteles verò jus natura-*

tura-

turale & quod ſimpliciter jus eſt civitatis, velut perfectiſſimæ ſocietatis proprium facit l. 5. Ethic. c. 10. *In perfectiſſimo enim & ultimo, quod velut optimum intenditur, natura cujusque rei eſt quærenda.* Idem l. 1. Polit. c. 2. *His ſtantibus, fruſtrà peculiare quoddam Jus naturale in gentium ſocietate quæres: ſed omne jus quo gentes utuntur, erit ex pactis conventis ſeu legitimum, quod non, ut Autor exiſtimare videtur, naturale dici poteſt, ſub eo prætextu, quaſi Jus naturæ pactis ſtandum eſſe præcipiat, niſi omnia jura eſſe naturalia velis aſſerere: Quid dicemus? An fortaſſe quemadmodum hominum datur civitas, id eſt, perfectiſſima conſociatio, ita & civitatum, quando in Imperia coeunt, & rurſus Imperiorum vel magnarum Rerumpubl., ſi univerſam illam colant ſocietatem, quæ tandem erit ſocietas omnium perfectiſſima. Ita enim, quod de homine dicit Ariſtoteles, naſci eum partem ſocietatis civilis, de civitatibus ſtatuere licebit, eſſe eas à naturâ productas partes Imperii, & Imperia*

ria partes univerſalis ſocietatis. Dabiturque peculiare jus naturæ in his ſocietatibus quærendum, Superius fortaſſe jure civili; quia uti Ariſtoteli jus naturale dicitur, quod dirigit hominum civitatem, ita hoc quoque vocabitur naturale, illo tamen ſuperius, cùm dirigat imperia, id eſt civitatum civitates & univerſalem ſocietatem, quam Imperiorum civitatem maximam appellare licet. Confirmare hanc ſententiam videtur, quòd in ſingulis Regionibus per univerſum orbem quædam indigentia deprehendatur, quæ ſublevari per univerſalem illam ſocietatem poteſt: hac enim initâ nihil amplius ulli hominum deeſſe poterit, quod natura ad felicitatem hac in vitâ obtinendam largita eſt, obtinebiturque per eam perfectiſſima tandem ſufficientia. Hac verò ſublatâ, ſingulæ Regiones quibuſdam felicitatis inſtrumentis deſtituentque. Et quod de civitatis auctore Ariſtoteles dixit lib. 1. Politic. *eum maximorum bonorum auctorem fuiſſe, propterea quòd ceſſantibus bellis per diſceptationem de Juſto quilibet quod ſibi debetur*

betur eâ intraducta conſequi poſſit: Idem & multo juſtius de iis aliquando dici poterit, qui vel ſolis Europæis aut Chriſti nomen colentibus, auctores erunt Judiciorum inſtituendorum, quò lites inter Reges Chriſtianos non bellis, ſed Judiciis finiantur. Quod uti ob malitiam hominum ſperare non licet, ita & exercitii gratia tantum à nobis poſitum erit, ut eo velut principio in quentibus diſceptationibus utentes, quid ponderis habeat, & an natura fortaſſe id intendat, periculum facere poſſimus.

Male autem à Carneade] *Syllogiſmus Carneadis talis eſt:*

Qui propriam utilitatem negligens aliorum utilitates quærit, ſtolidus eſt.
Iuſtus qui eſſe vult propriam utilitatem negligat, aliorum quærat neceſſe eſt. Ergo,

Reſpondeo: & Majorem & Min: falſam eſſe. Nam qui quærit id, ad quod à natura productus eſt, ſtolidus non eſt, niſi naturam ſtul-

ſtultitiæ accuſare velis: At civis concivium ſalutem quærens, id intendit, ad quod à natura productus eſt, uti antea demonſtravimus. Ergo aliorum utilitatem quærens ſtolidus non eſt. Juſtum autem propriam utilitatem negligere, etiam falſum eſt.

Nam juſtitia] *Non negamus, neglectum Iuſtitiæ malam conſcientiam, probrum, vituperium, metumque divinæ vindictæ ſecum trahere. Verùm hi effectus nondum ſufficere videntur ad injuſtos homines coërcendos. Multi enim præſertim vitiis planè immerſi Syllogiſmum illum, qui turpitudinem factorum ob oculos ponit, perpendere non poſſunt. Unde mala conſcientia in iis parum ponderis habere poteſt: plerique longanimitate divina abutuntur. Tum verò & hoc omnibus commune eſt, ut de propriis rebus vitiosè judicent, nec verum perſpicere poſſint. Hunc in finem etiam judicia excogitata ſunt, ut judices incorruptè quod verum juſtumque eſt pronuntient, quibus ceſſantibus quilibet ſuas actiones juſtas, aliorum injuſtas pronuntiabit, nunquam quere-*

lis

lis ceſſantibus: bellaque movebuntur, neutra parte injuriam, quam infert, agnoſcente. Qua de cauſa & civitates in imperia, & hæc in quendam univerſalem ſocietatem, ob cujus defectum jus gentium nullius aut exigui momenti eſt; coire debere, Argumento hæc ſunt.

Themiſtius Oratione] *Si Reges ut rectè præſint, totius humani generis rationem habere debent: ſequetur quaslibet Regiones ut partes totius univerſalis ſocietatis gubernandas eſſe. Unde iterum manifeſtum fit, Imperia ad ſocietatem univerſalem tendere, cujus partes ut ſint, ſingulæ Regiones à natura productæ ſunt. Argumentum tale eſt:*

Quorum benè eſſe eſt ad aliud referri, & mutuis officiis uti, id cum aliis conjunctum eſſe debet.

At ſingularum Regionum benè eſſe conſiſtit in mutuis officiis.

Ergo Regiones conjunctæ inter ſe eſſe debent, id eſt, in ſocietate aliqua vivere: (cui nihil deerit, ſi nulla deſit Regio.)

Tantum verò abeſt] *Argumentum, quo quidam probare conantur, inter populos diverſos nullum jus intercedere; quod etiam evertere vult Autor, tale eſt:*

Qui bella inter ſe perunt, omnia jura negligunt, & per conſequens, fruſtra aliquod jus in iis quæritur.

Inter populos bella geruntur & manu omnia agitantur.

Ergo inter populos diverſos fruſtra jus quæritur.

Major hujus argumenti ſatis evidens eſſe videtur; quia quovis modo hoſtē ledere licet: lædere autem homines contrarium juris eſt.

Mallem ego reſpondere ad Maj. Bella indicium poſſus eſſe, jura inter populos dari, quibus violatis querelæ, & ex querelis bella oriuntur. Quamvis ea Iuris conſequendi medium naturale non ſint: ſatius enim eſſet Iudiciis abſolvere controverſias: Sed cùm Imperia nondum conſtituerint civitatem aut ſocietatem univerſalem civitati ſimilem, in qua judiciis res peragi poſſint: ſæpiſſimè juſta cauſa fortunæ committenda

eſt,

eſt, bellumque contra jus denegates ſuſcipiendum. Quemadmodum enim olim privati, cùm Magiſtratus controverſias propter barbariem decidere non poſſent, duellis lites componebant: ita quoque inter Reges populoſque controverſiæ dubio marte dirimuntur, quod aliquid barbariei ſupereſſe arguit.

Quantam vim habeat] *Conatur Autor oſtendere: magnum momentum habere in bellis juſtam cauſam. Quod ut vel maximè concedam: Bellum tamen ea de cauſa naturale aliquod medium eſſe lites decidendi nego. Dedit enim, Deus hominibus rationem, qua adhibita, juſtum longè commodiori via conſequi poſſunt, quàm ſi ferarum in modum rabie plus quàm beſtiali accenſi concurrant, & manu quærant, quæ ratione inveſtigandum ejuſque eluctu præſtandum erat. Sed cùm malitia hominum & perverſitas aliud adipiſcendi Iuris medium non admittat: divinam opem ſæpè Iuſtitiæ cauſæ ſubvenire, mirum non eſt.*

Cujus immanitatis] *Non dubito rectè judicaſſe, qui Chriſtianis bella interdixêre. Ete-*

Etenim ſi ſocietas humana & jus naturæ exigit. Iudicia potius quàm bella, quibus lites decidantur: quid de Chriſtianis dicendum? Annon Charitas, qua velut proprietate à paganis dignoſcuntur, omnes populos Chriſtianam fidem amplectentes dudum in ſocietatem quandam arctiſſimam colligere debuiſſent? quo facto, non modò conſcientiæ conſulere, barbaris reſiſtere, ſed & furorem illorum compeſcere, ſibique eoſdem ſubjicere potuiſſent. Nec nimius hic contranitendi conatus dici poteſt, ſi veritatem dicere non eſt in nimio peccare. Et licet propter malitiam hominum aſtipulatores opinio hæc conſequi nequeat, amica tamen veritas præteriri propterea non debet. Quin ſemper id quod perfectiſſimum & ſummum eſt, pro fine ect habendum: Sæpè enim accidit, ut optimo ſummoque propoſito vix in tertiis conſiſtamus.

Simul & Jurisprudentiam] *Latius quodammodo officium Iurisperiti extendit, quod in interpretatione legum alias ſubſiſtit. Speculari enim jus naturæ ad ſcientiam L-Latoriam pertinet, parsque Philoſophiæ eſt.*

Quam-

natura e-
uibus lites
licendum?
prietate à
los Chri-
in ſocie-
ere de-
tiæ con-
em illo-
ere po-
i cona-
eſt in
m ho-
ui ne-
ropte-
erfe-
Z ha-
ſum-
us.
tius
dit,
ſtit.
L-
eſt.
m-

Quamvis non negem, Jus illud naturæ, quòd in contractibus & delictis verſatur, ab eo, qui experientiam L. L. Romanorum, aliarumque Rerumpubl. habet, longè felicius excoli poſſe, quàm ab homine qui ſola Ariſtotelis præcepta memoriæ mandavit, omni vero legum experientia deſtitutus eſt. Si enim τὸ ὅτι notum eſt, cognito ſimul modo demonſtrandi, τὸ διότι non facile latebit.

Quod ſi veræ Juſtitiæ] *Putat ita rectè in jus naturæ inquiri poſſe, ſi alius de legibus, alius de tributis, alius de officio Judicum &c. tractandum ſibi ſuſcipiat. Verùm ſi hoc fieret, totum jus naturæ opinionum diverſitate turbaretur, majorque oriretur confuſio, quàm nunc, quando Iuri civili Romano inhæretur. Raro enim inveniuntur, qui modum demonſtrandi adhibent, multi quod veriſimile eſt tradunt, plerique aut ſophiſtas aut nugatores agunt. Præterea eſt in ſingulis ſcientiis materiarum concatenata quædam ſeries: nec ſingulæ ſeorſim partes rectè tractari poſſunt, niſi totum cognitum habeamus.* Ariſt. l. 2. Metaph. c. 1. *Ego exiſtimo, tot jam*

jam confectos eſſe commentarios de ſingulis Iuris privati potiſſimum materiis, in quibus ex variis legibus & conſuetudinibus tùm multa tradita ſunt, nihil ut ſupereſſe videatur, quàm ut qui modi demonſtrandi peritiam habet, opus tandem conficiat, & ſingula per cauſas demonſtret.

Nos certè quam viam] *Recenſet Autor, qua via in tradendo Iure populorum progreſſus ſit, quidque in ſingulis libris comprehenderit. Quam quidem ipſius methodum nondum examinabimus, tantummodò hoc monentes, non videri eum id obſervaſſe, quid in ſcientiis requiritur, nimirum à notioribus ad ea procedendum, quid ex iiſdem demonſtranda veniunt.*

Hi qui ſummas caſuum] *Duo ſunt quæ in omni judicio de arte ab aliquo traditâ ferendo ſpectanda veniunt, experientia & ſcientia demonſtrandi. Quorum unum ſi deſit, vitio laborare traditam artem; ſi utrumque, nullius momenti eſſe, dubium non eſt* vid. Ariſt. l. 10. Ethic. cap. ult. *Quæ cum ita ſint, quid de Autoribus hîc citatis ſentiendum, quilibet judicare poterit.*

Primùm

Primùm mihi cura] *Putat Autor, ſe omnia ad jus naturæ pertinentia ex axiomatibus tantum, quæ certiſſimas notiones vocat deduxiſſe. Ubi notanda quædam mihi videntur. Primum eſt, ſæpè proaxiomatibus haberi illas propoſitiones, quæ opinione omnium hominum approbantur aut plerorumq;, licet in ſcientiis demonſtrari ſoleant. Et hac in re mirim in modum eruditi decipiuntur, dum exiſtimant, ſe ex primis & naturalibus principiis veritatẽ demonſtraſſe cùm tantùm ex propoſitionibus, quas vel omnes homines vel pleriq; vel omnes ſapientes vel plerique, veras eſſe opinantur, per Syllogiſmos dialecticos propoſitum ſuum protarint verbi gratia Magiſtratũ eſſe colendum, propoſitio eſt, cui communiter homines propter bonã opinionẽ fidem adhibent, non tamen axïoma, quia in Ethicis, ubi de amicitiâ agitur, per cauſam ſuam demonſtratur. Ita matres diligere liberos, eſt propoſitio, cui nemo hominũ fidẽ derogabit; interim & ejus cauſſa in tractatu de amicitiâ traduntur. Multa enim ſunt propoſitiones, quibus fidem facilè nemo derogat, quarũ tamẽ cauſas in ſcientiis*

tradi-

tradimus, & perconſequens axiomata non ſunt. Secundum quod notandum venit, eſt; non potuiſſe Autorem omnia ex axiomatibus tantùm deducere: eſt enim doctrina de Jure naturæ pars illius ſcientiæ, quæ circa actiones hominum verſatur; multæ ergo occurrent propoſitiones, quæ in Elementis illius antè demonſtrandæ fuerunt, nec hic demonſtrari poſſunt. Quare aut ipſe debuiſſet illa univerſalia præmittere, aut præſupponere demonſtrationes cujusdam, Autoris verbi gratia Ariſtotelis, quem tamen rejicit, uti ex ſeqq. *patebit. Tertiò monendum potiſſimum principium demonſtrandi eſſe definitionem, cujus nullam mentionem Autor fecit, imitatus eos, qui quando ex probabilibus & veriſimilibus dialecticè progrediuntur, ex natura notis ſe demonſtraſſe arbitrantur. Quid in demonſtrando definitio poſſit* vid. lib. 2. analyt. poſt.

Uſus ſum etiam] *Teſtimonia Auctorum nihil probant, ſi ſcientificè quid tradere velimus; ſed tantummodo opinionem bonam conliciant.*

Uti-

Utinam tantum Principatus] *Non Ariſtoteles ipſe, ſed ignorantia hominum exiſtimantium id Ariſtotelis eſſe, quod interpretes & commentatores eidem affinxerunt, & fortaſſe ei nunquam in mentem venit, tyrannidem hactenus exercuit. Utinam verò omnes textui Ariſtotelico ſtrictè inhærerent, & vim demonſtrationum intelligerent, non opprimeretur veritas ſed præter veritatem, id quod Philoſophorum proprium, cauſarum nimirum cognitio obtineretur, & ſingula accuratius cognoſcerentur. Quòd ſi Autori libet ab Ariſtotelis ſententiâ paululum ſecedere, utatur is libertate Philoſophicâ, modo vi demonſtrationum faciat non ſeductus ſyllogiſmis quibuſdam ſophiſticis.*

Inter cætera] *Inter alias opiniones Ariſtotelicas, quas falſitatis plenas arguit Autor, & hanc tyrannidem exercuiſſe in ſcholis noſtris tradit; quæ virtutem in mediocritate ponit; quâ de cauſa etiam à gubernaculis repellere eam conatur. Et quamvis demonſtrationis acumine ita armarit eandem Philoſophus, ut ſuam adverſus impugnantes*

ma-

Etenim ſi ſocietas humana & jus naturæ exigit. Iudicia potius quàm bella, quibus lites decidantur: quid de Chriſtianis dicendum? Annon Charitas, qua velut proprietate à paganis dignoſcuntur, omnes populos Chriſtianam fidem amplectentes dudum in ſocietatem quandam arctiſſimam colligere debuiſſent? quo facto, non modò conſcientiæ conſulere, barbaris reſiſtere, ſed & furorem illorum compeſcere, ſibique eoſdem ſubjicere potuiſſent. Nec nimius hic contranitendi conatus dici poteſt, ſi veritatem dicere non eſt in nimio peccare. Et licet propter malitiam hominum aſtipulatores opinio hæc conſequi nequeat, amica tamen veritas præteriri propterea non debet. Quin ſemper id quod perfectiſſimum & ſummum eſt, pro fine eſt habendum: Sæpè enim accidit, ut optimo ſummoque propoſito vix in tertiis conſiſtamus.

Simul & Jurisprudentiam] *Latius quodammodo officium Iurisperiti extendit, quod in interpretatione legum alias ſubſiſtit. Speculari enim jus naturæ ad ſcientiam L-Latoriam pertinet, parsque Philoſophiæ eſt. Quam-*

Quamvis non negem, Jus illud naturæ, quòd in contractibus & delictis verſatur, ab eo, qui experientiam L. L. Romanorum, aliarumque Rerumpubl. habet, longè felicius excoli poſſe, quàm ab homine qui ſola Ariſtotelis præcepta memoriæ mandavit, omni vero legum experientia deſtitutus eſt. Si enim τὸ ὅτι *notum eſt, cognito ſimul modo demonſtrandi,* τὸ διότι *non facilè latebit.*

Quod ſi veræ Juſtitiæ] *Putat ita rectè in jus naturæ inquiri poſſe, ſi alius de legibus, alius de tributis, alius de officio Judicum &c. tractandum ſibi ſuſcipiat. Verùm ſi hoc fieret, totum jus naturæ opinionum diverſitate turbaretur, majorque oriretur confuſio, quàm nunc, quando Iuri civili Romano inhæretur. Rarò enim inveniuntur, qui modum demonſtrandi adhibent, multi quod veriſimile eſt tradunt, plerique aut ſophiſtas aut nugatores agunt. Præterea eſt in ſingulis ſcientiis materiarum concatenata quædam ſeries: nec ſingulæ ſeorſim partes rectè tractari poſſunt, niſi totum cognitum habeamus.* Ariſt. l. 2. Metaph. c. 1. *Ego exiſtimo, tot*

jam

jam confectos eſſe commentarios de ſingulis Iuris privati potiſſimum materiis, in quibus ex variis legibus & conſuetudinibus tùm multa tradita ſunt, nihil ut ſupereſſe videatur, quàm ut qui modi demonſtrandi peritiam habet, opus tandem conficiat, & ſingula per cauſas demonſtret.

Nos certè quam viam] *Recenſet Autor, qua via intradendo Iure populorum progreſſus ſit, quidque inſingulis libris comprehenderit. Quam quidem ipſius methodum nondum examinabimus, tantummodò hoc monentes, non videri eum id obſervaſſe, quid in ſcientiis requiritur, nimirum à notioribus ad ea procedendum, quid ex iiſdem demonſtranda veniunt.*

Hi qui ſummas caſuum] *Duo ſunt quæ in omni judicio de arte ab aliquo traditâ ferendo ſpectanda veniunt, experientia & ſcientia demonſtrandi. Quorum unum ſi deſit, vitio laborare traditam artem; ſi utrumque, nullius momenti eſſe, dubium non eſt* vid. Ariſt. l. 10. Ethic. cap. ult. *Quæ cum ita ſint, quid de Autoribus hic citatis ſentiendum, quilibet judicare poterit.*

Primùm

Primùm mihi cura] *Putat Autor, ſe
mnia ad jus naturæ pertinentia ex axioma-
bus tantum, quæ certiſſimas notiones vo-
t deduxiſſe. Ubi notanda quædam mihi
identur. Primum eſt, ſæpè proaxio mati-
s haberi illas propoſitiones, quæ opinione
nium hominum approbantur aut plero-
nq;, licet in ſcientiis demonſtrari ſoleant.
hac in re mirim in modum eruditi deci-
ntur, dum exiſtimant, ſe ex primis &
ralibus principiis veritatē demonſtraſſe
tantùm ex propoſitionibus, quas vel o-
s homines vel pleriq; vel omnes ſapientes
lerique, veras eſſe opinantur, per Syllo-
os dialecticos propoſitum ſuum prota-
erbi gratia Magiſtratū eſſe colendum,
ſitio eſt, cui communiter homines pro-
nā opinionē fidem adhibent, non tamen
a, quia in Ethicis, ubi de amicitiâ agi-
cauſam ſuam demonſtratur. Ita ma-
gere liberos, eſt propoſitio, cui nemo
fidē derogabit; interim & ejus cauſſæ
itu de amicitiâ traduntur. Multa
it propoſitiones, quibus fidem facilè
ogat, quarū tamē cauſas in ſcientiis*

tradi-

majeſtatem facilè tueri poſſit: noſtrum tamen quoque eſt eidem non deeſſe. Cujus gratiâ, quæ c. 5. l. 2. Ethic. *de eſſentiâ virtutis tractantur, breviter enarrabimus Progreditur autem Ariſtoteles in hunc modum: Poſtquam oſtendit virtutem habitum eſſe, inquirit in differentiam ſpecificam, qualiſque ille ſit habitus oſtendit, inde ſumpto initio: Virtutem in quaq; re eſſe illud ponit quo unum quodque ſuo munere rectè fungitur; & per conſequens in homine eſſe habitum, quo homo & bonus ſit & ſuo munere rectè fungitur. Hoc poſito ulterius quærit, quidnam illud ſit, quod faciat hominem bonum & ſuo munere rectè fungi; & pro eo inveſtigando utitur principio ejuſmodi: licere nim: in omni continuo & diviſibili ſumere plus, minus, & æquale; illudque æquale vel ſimpliciter ex re vel reſpectu noſtri dijùdicari. Rejecto verò æquali ſecundum rem concludit, virtutem in medio quoad nos conſiſtere, & hoc obtineri, conſideratis circumſtantiis:* Quis agat, circa quid agendo verſemur, Quid, cujus gratiâ, Quomodo,

do, Quo inſtrumento, Quo loco, Quo tempore &c. agatur; *ſi unum horum deficiat & vel quoad nimium vel quoad parum, peccatum ſit, ab erratum eſſe à medio. Hanc Ariſtotelis ſententiam ita refutare copatur Autor. Primò quòd virtutes diſtructe ex parſimonia ſc. & liberalitas confundantur & pro unâ eâdemq; habeantur. Verum cum Ariſtoteles liberalitatem pro habitu ſumpſerit, quo benè fungimur munere in dandis & accipiendis pecuniis, conſiderando,* Quis det, Quantum, Cui, Quomodo, Cujus gratiâ detur &c. *apparet, non oportuiſſe de parſimoniâ, quatenus ad virtutes pertinet, quid peculiariter dicere; ſi quis enim ita tenax ſit rerũ ſuarum, ut nec, cui dandum ſit det, nec quantum dandum, ipſius parſimonia virtus non eſt, ſed pars quædam avaritiæ. Quòd ſi verò non cuilibet temerè det, ſed attendat probè cujus & quantum dandum, pars quædam liberalitatis eſt, ſortita peculiare nomen, quatenus prodigalitati contradiſtinguitur. Nec mirum eſt unam eandemque virtutem, quatenus duplici extremo opponitur duplex*

plex ſortiri nomen; cum reſpectu unius contrarii virtûs ſæpè pro altero contrario habeatur: ita liberalis prodigo avarus, avaro prodigos videtur. Secundò Ariſtotelem reprehendit, quaſi minus accurate de Veritate *locutus ſit: quod tamen arguit, non ſatis eum philoſophi mentem percepiſſe: neque enim veritas quatenus homiletica virtus eſt ſumitur pro eo quod falſo opponitur ſeu mendacio: pertinet enim illud ad particularem Juſtitiam. (Qua de cauſa & Falſum inter commutationes invitas refertur* lib. 5. Ethic. cap. 5.) *Eſt autem Ariſtoteli Veritas habitus, quo quæ quis habet, in ſe eſſe confitetur, neque ea verbis augendo neque extenuando. Quod tertiò dicit, commiſiſſe Ariſtotelem in tractatu de Juſtitia ſaltem de genere in genus, percipere non poſſum, ſi analytica adhibens præcepta conſiderem quid ſit* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. *Nec enim ſi Ariſtoteles conſideret, quo pacto unaquæque virtus in medio poſita ſit, illudque inquirat, contra regulam illam analyticam peccat.*

cat. Sed de Iuſtitia cap. 1. *plura dicemus.*

Cui hallucinationi] *Non diſtinguit Autor inter Iuſtitiam univerſalem & particularem: ut enim differentiam utriuſque ſtenderet Ariſtoteles, uſus eſt exemplo adulteri, qui quando ex libidine rem habet cum xore alterius, potius incontinens & intemperans, quàm injuſtus ſecundum particulam Iuſtitiam dicendus eſt. Ne tempus teım, remitto lectorem ad* c. 4. l. 5. Ethic. *Ieque enim negat Ariſtoteles Adulterum ccare contra juſtitiam univerſalem, ſed ntummodò explicat, non ſemper contra rticularem eum peccare, niſi quatenus æſtum facit.*

Ut redeam] *Pergit in refutando Ariſtoe, conaturque probare, eundem non rectè finiviſſe virtutem moralem, propterea od ſtatuerit eam habitum qui moderatur ectus; non omnes autem virtutes affectus oderari: quaſdam enim ad ſumma nos exare. Quod cultu divino manifeſtum facevult: neque enim, inquit ille, Deum nis colere poſſumus. Unde colligit, pietatem non*

non eſſe virtutem quæ affectus moderatur. Hic verò Autor multis modis labi videtur. Nam affingit, Ariſtoteli definitionem quam apud eundem reperire non licet, definit enim is virtutem habitum in mediocritate quoad nos. Ea autem mediocritas conſiſtit in circumſtantiis, quas ſupra enarravimus conſiderandis; nec ſolum in perturbationibus ſed & actionibus habet locum; quia virtus in perturbationibus & actionibus verſatur, ut explicatur c. 5. l. 2. Ethic. *Deinde ſumamus pietatem eſſe virtutem quandam moralem, hoc enim Autor præſupponit. Dico eam verſari, in mediocritate quoad nos id eſt ſpectare circumſtantias* quis, quid, cujus gratiâ, circa quid, quantum, quomodo &c. *quo non facto, multis modis peccamus: ſi enim non conſideremus quis colendus ſit, ſed circa aliud quippiam quàm verũ Deum, imaginem nimirum ligneam verſemur eiq; honores divinos offeramus, peccatum erit & aberratum; unde Pontificios Reformati reprehendere ſolent, quaſi Angelis & ſanctis honores divinos exhibeant. Sic ratione*

do *ſummoperè & præ omnibus*
dictitat ratio Deum. Et tale quip-
ſtoteli medium eſt, ut ex d. cap. 5.
Sic ſi non cujus gratiâ debebamus
limus, verbi gratia in eum finem
ut nobis largiatur magnum divi-
mulum, aberratum à medio erit.
Autor, Deum non poſſumus nimis
teor, quid hoc ad rem? Si enim in
rſamur, quomodo dum in eodem
r, ſimul in exceſſu peccare poteri-
eque Ariſtoteles dixit in ipſo medio
ceſſum & defectum eſſe. Medium
mo honore, ſummis viribus colere
in hoc medio dum exceſſum & defe-
perire non poteſt Autor accuſat Ari-
, quaſi malè tradiderit virtutem in
oſitam eſſe: Sed male: neque enim in
dio nimium & parum dari Ariſtote-
uam dixit. Eadem eſt erroris cauſa in
s ab Autore propoſitis exemplis: quod
iſtimarit etiam in medio & bono ex-
& defectum dari. Quod tamen fal-
t: Quemadmodum enim in iis quæ

 mala

mala ſunt & cum vitio conjuncta fruſtrà medium & bonum quæritur : ita nec in bono & quod cum virtute conjunctum nimium & parum cum mediocritate reperire licet. Sed non eſt, ut pluribus hæc declaremus, cum cap. 6. lib. 2. Ethic: *Ab Arte perſpicuè explicentur.*

Hiſtoriæ] *Hiſtoria vel juri naturæ vel juri gentium ei, quod in nudo conſenſu ſubſiſtit, probando inſervit; huic, ferendo teſtimonium de rebus eodem modo ſæpius inter gentes peractis; (eſt enim conſuetudo facti & propterea hiſtoriâ velut teſte probanda) Illi, præbendo ſingularia, ex quibus per inductionem colliguntur propoſitiones univerſales, vel nullâ indigentes demonſtratione, quarum cauſſas non deſideramus; vel demonſtrationem requirentes. Propoſitiones quarum nullam cauſſam deſiderare poſſumus vel axiomata ſunt, vel prædicatum habent, quæ eſt de definitione ſubjecti aut contrà. Eæ verò, quarum cauſſas exigimus, magnum adjumentum præbent ſcientiam : ſi enim* τὸ ὅτι *latet, de cauſ-*

ſis non poſſumus eſſe ſolliciti.

Librorum] *Quæ ex Scripturâ ſacrâ tor diſputat, conſultò prætermimus, & ea ologis committimus.*

ui ſucceſſerunt] *Hoc prætermittere non ponus, quod circa ſcholaſticorum Philoſoum notandum neceſſarium duximus, Lare nimirum eam malis quæ ſolidam loſophiam invertere ſolent, nec multum phiſtarum nugis abeſſe, in accidentibus rendo laudem. Hinc tot & tam variæ gitatæ ſunt illi diſtinctiunculæ, quos Aritlica Philoſophia, quæ id quod per ſe eſt ſequitur, ignorat.*

Neque minus gentium jus] *Magna ur difficultas circa definitioenm juris tium, quidnam in jure civili denotet. Vitur enim quædam dici juris gentium, neque ab omnibus gentibus, neque à pleque ſunt approbata: & licet approbata vel ab omnibus vel à pleriſque, ſi ex acnti & fortuito hoc factum ſit, ad quid ducet illud jus noſſe? fortaſſe reſpondeat s, præſumptionem quandam parere, non*

 ſine

mala ſunt & cum vitio conjuncta fruſtrà medium & bonum quæritur: ita nec in bono & quod cum virtute conjunctum nimium & parum cum mediocritate reperire licet. Sed non eſt, ut pluribus hæc declaremus, cum cap. 6. lib. 2. Ethic: *Ab Arte perſpicuè explicentur.*

Hiſtoriæ] *Hiſtoria vel juri naturæ vel juri gentium ei, quod in nudo conſenſu ſubſiſtit, probando inſervit; huic, ferendo teſtimonium de rebus eodem modo ſæpius inter gentes peractis; (eſt enim conſuetudo facti & propterea hiſtoriâ velut teſte probanda) Illi, præbendo ſingularia, ex quibus per inductionem colliguntur propoſitiones univerſales, vel nullâ indigentes demonſtratione, quarum cauſſas non deſideramus; vel demonſtrationem requirentes. Propoſitiones quarum nullam cauſſam deſiderare poſſumus vel axiomata ſunt, vel prædicatum habent, quæ eſt de definitione ſubjecti aut contrà. Eæ verò, quarum cauſſas exigimus, magnum adjumentum præbent ſcientiam: ſi enim* τὸ ὅτι *latet, de cauſ-*

s non poßumus eſſe ſolliciti.

brorum] *Quæ ex Scripturâ ſacrâ r diſputat, conſultò præterimus, & ea logis committimus.*

ıı ſucceſſerunt] *Hoc præterire non poπs, quod circa ſcholaſticorum Philoſo-s notandum neceßarium duximus, La-e nimirum eam malis quæ ſolidam ſophiam invertere ſolent, nec multum hiſtarum nugis abeſſe, in accidentibus endo laudem. Hinc tot & tam variæ itataæ ſunt illi diſtinctiunculæ, quos Ari-ica Philoſophia, quæ id quod per ſe eſt quitur, ignorat.*

ſeque minus gentium jus] *Magna r difficultas circa definitioenm juris um, quidnam in jure civili denotet. Vi-ır enim quædam dici juris gentium, ıeque ab omnibus gentibus, neque à ple-e ſunt approbata: & licet approbata el ab omnibus vel à pleriſque, ſi ex ac-ti & fortuito hoc factum ſit, ad quid ıcet illud jus noſſe? fortaſſe reſpondeat præſumptionem quandam parere, non*

 ſine

ſine ratione illud eſſe introductum. Sit ita: at quæritur porrò, an etiam ICtorum Romanorum mens fuerit & intentio tale jus quærere: addidiſſent enim aliquando numerum gentium illo jure utentium, quod nuſpiam tamen factum videmus: neque enim in titulo de R. D. nec in materia contractuum alicujus gentis mentionem faciunt. Omitto quod autor obſervavit, quædam Iuris gentium dici, de quibus conſtat, vix ab ullâ gente obſervata eſſe, & contrà quædam Iuris civilis, quæ apud omnes gentes pro jure habentur, verbi gratia: Hæreditas, tutela, donatio mortis cauſsâ. Nec valde moror eos, qui diſtinguunt dicentes, ratione informationis hæc juris civilis eſſe. Nam nullus peregrinus ad hæreditatem admiſſus fuit. Qui tamen facilè ſine ceremoniis iis hereditatem adire potuiſſet, niſi Romani illis eam ſimpliciter denegaſſent. Ut ergò verum fateamur, parum conducet cognitio juris gentium ex noſtro Romano jure petita, ad propoſitum. Vix enim eſt ut tutò pro gentium jure habere poſſimus, quod Romani eidem annumerant,

aut

aut à jure gentium removeamus, quod ipſi Iuris civilis eſſe ſtatuerunt. Diſtinctio nam inter jus civile & gentium, in jure Romano obſervata, in eum finem introducta eſt, ut quod Jus prætor urbanus civibus diceret, quod peregrinus peregrinis ſciretur. Multa enim ſibi populus Romanus reſervavit, aliisque denegavit gentibus, quæ fortaſſe deneganda iis non erant: eaque juris civilis, ut quibus ſoli cives Romani præ reliquis fruerentur, eſſe ſtatuit, quæ peregrinis concedebat jura ex naturali ratione, uti putabat, deducta, & quæ omnibus hominibus juſta eſſe opinabatur, jura gentium vocavit.

Temperavi me] *Neſcio quid Autor ſibi velit, quando ait: ſeſe ab his temperaſſe quæ ex uſu ſint facere, cum hoc alterius tractationis ſit & ad politicam ſpecialem pertineat. Eſt enim juſtum quiddam eorum quod ſocietatem conſervat. Unde omnes Legiſlatores de juſto præcipientes id perpetuò ſpectant quod publicè utile eſt.* Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. 11. *Tantum ergò abeſt, ut juſtum ad politicam non pertineat, ut potius*

politici de formis Rerumpubl. diſputantes nil aliud quàm jus quoddam quærant. Hinc Plato ſcientiam civilem circa duo, honeſtum ſcil. & juſtum verſari tradidit. Hoc tamen concedo, Bodinim erraſſe, dum juris prudentiam ſeu rationem interpretandi leges Romanorum ſcientiæ civili immiſcuit.

Dicendi genus] *Genus dicendi conciſum & humile obſervare tenentur Philoſophi. Nam in cauſſarum deſiderio avidiſſimi ſumus. Et ne errores emergant in demonſtrando à metaphoris abſtinendum: Secus ſi fiat, de ſpecie dicentur quæ generi inſunt & contrà. Ineptum præterea eſt verborum ornatu judicium lectoris corrumpere: id enim efficiet, quominus de veritate rectè centire poſſit. Eâque de cauſſâ Mathematici non ornatu verborum problemata ſua ornare ſed potius acumine demonſtrandi probare conantur.*

LIBER I.

CAP. I.

§ 1. IUs Civile Autor inter eos ſtatuit qui in unam gentem coiverunt, neſcio an ſatis accuratè: videtur enim gens quiddam ex multis civitatibus compoſitum, & perfectior quædam ſocietas quàm civilis eſt; quemadmodum ea quæ ex pluribus gentibus eſt ſuprà in proëmio demonſtrata eſt, perfectior eſſe ſocietate civili. Non verò omnes qui in eandem gentem coiverunt etiam cives unius civitatis dici poſſe, vel ex ſolâ Romanorum Republicâ apparet, in quâ alii nullum habebant jus civitatis, alii nominetenùs tantùm, qui jure ſuffragiorum deſtituebantur.

Sed quia] Non rectè videtur argumentari quando conatur probare de bello initium faciendum eſſe hujus tractatus: argumentum tale eſt;

> Quod ad aliud tanquam finem ducit primo loco proponendum eſt, ipſe finis ultimo loco & incidenter.
> Bellum propter pacem eſt. Ergo
> De bello primo loco; de pace ultimo & incidenter erit dicendum.

plex ſortiri nomen; cum reſpectu unius contrarii virtûs ſæpè pro altero contrario habeatur: ita liberalis prodigo avarus, avaro prodigos videtur. Secundò Ariſtotelem reprehendit, quaſi minus accurate de Veritate *locutus ſit: quod tamen arguit, non ſatis eum philoſophi mentem percepiſſe: neque enim veritas quatenus homiletica virtus eſt ſumitur pro eo quod falſo opponitur ſeu mendacio: pertinet enim illud ad particularem Juſtitiam. (Qua de cauſa & Falſum inter commutationes invitas refertur* lib. 5. Ethic. cap. 5.) *Eſt autem Ariſtoteli Veritas habitus, quo quæ quis habet, in ſe eſſe confitetur, neque ea verbis augendo neque extenuando. Quod tertiò dicit, commiſiſſe Ariſtotelem in tractatu de Juſtitia ſaltem de genere in genus, percipere non poſſum, ſi analytica adhibens præcepta conſiderem quid ſit* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. *Nec enim ſi Ariſtoteles conſideret, quo pacto unaquæque virtus in medio poſita ſit, illudque inquirat, contra regulam illam analyticam peccat.*

cat. Sed de Iuſtitia cap. 1. *plura dicemus.*

Cui hallucinationi] *Non diſtinguit Autor inter Iuſtitiam univerſalem & particularem: ut enim differentiam utriuſque oſtenderet Ariſtoteles, uſus eſt exemplo adulteri, qui quando ex libidine rem habet cum uxore alterius, potius incontinens & intemperans, quàm injuſtus ſecundum particularem Iuſtitiam dicendus eſt. Ne tempus teram, remitto lectorem ad* c. 4. l. 5. Ethic. *Neque enim negat Ariſtoteles Adulterum peccare contra juſtitiam univerſalem, ſed tantummodò explicat, non ſemper contra particularem eum peccare, niſi quatenus quæſtum facit.*

Ut redeam] *Pergit in refutando Ariſtotele, conaturque probare, eundem non rectè definiviſſe virtutem moralem, propterea quod ſtatuerit eam habitum qui moderatur affectus; non omnes autem virtutes affectus moderari: quaſdam enim ad ſumma nos excitare. Quod cultu divino manifeſtum facere vult: neque enim, inquit ille, Deum nimis colere poſſumus. Unde colligit, pietatem non*

non eſſe virtutem quæ affectus moderatur. Hic verò Autor multis modis labi videtur. Nam affingit, Ariſtoteli definitionem quam apud eundem reperire non licet, definit enim is virtutem habitum in mediocritate quoad nos. Ea autem mediocritas conſiſtit in circumſtantiis, quas ſupra enarravimus conſiderandis; nec ſolum in perturbationibus ſed & actionibus habet locum; quia virtus in perturbationibus & actionibus verſatur, ut explicatur c.5. l. 2. Ethic. *Deinde ſumamus pietatem eſſe virtutem quandam moralem, hoc enim Autor præſupponit. Dico eam verſari, in mediocritate quoad nos id eſt ſpectare circumſtantias* quis, quid, cujus gratiâ, circa quid, quantum, quomodo &c. *quo non facto, multis modis peccamus: ſi enim non conſideremus quis colendus ſit, ſed circa aliud quippiam quàm verũ Deum, imaginem nimirum ligneam verſemur eiq; honores divinos offeramus, peccatum erit & aberratum; unde Pontificios Reformati reprehendere ſolent, quaſi Angelis & ſanctis honores divinos exhibeant. Sic ratione*

τὸ quomodo *ſummoperè & præ omnibus colendum dictitat ratio Deum. Et tale quippiam Ariſtoteli medium eſt, ut ex* d. cap. 5. *apparet. Sic ſi non cujus gratiâ debebamus Deum colimus, verbi gratia in eum finem tantum, ut nobis largiatur magnum divitiarum cumulum, aberratum à medio erit. At dicit Autor, Deum non poſſumus nimis colere. Fateor, quid hoc ad rem? Si enim in medio verſamur, quomodo dum in eodem verſamur, ſimul in exceſſu peccare poterimus? neque Ariſtoteles dixit in ipſo medio etiam exceſſum & defectum eſſe. Medium eſt ſummo honore, ſummis viribus colere Deum, in hoc medio dum exceſſum & defectum reperire non poteſt Autor accuſat Ariſtotelem, quaſi malè tradiderit virtutem in medio poſitam eſſe: Sed male: neque enim in ipſo medio nimium & parum dari Ariſtoteles unquam dixit. Eadem eſt erroris cauſa in reliquis ab Autore propoſitis exemplis: quod ſcil. exiſtimarit etiam in medio & bono exceſſum & defectum dari. Quod tamen falſum eſt: Quemadmodum enim in iis quæ*

B mala

mala ſunt & cum vitio conjuncta fruſtrà medium & bonum quæritur: ita nec in bono & quod cum virtute conjunctum nimium & parum cum mediocritate reperire licet. Sed non eſt, ut pluribus hæc declaremus, cum cap. 6. lib. 2. Ethic: *Ab Arte perſpicuè explicentur.*

Hiſtoriæ] *Hiſtoria vel juri naturæ vel juri gentium ei, quod in nudo conſenſu ſubſiſtit, probando inſervit; huic, ferendo teſtimonium de rebus eodem modo ſæpius inter gentes peractis; (eſt enim conſuetudo facti & propterea hiſtoriâ velut teſte probanda) Illi, præbendo ſingularia, ex quibus per inductionem colliguntur propoſitiones univerſales, vel nullâ indigentes demonſtratione, quarum cauſſas non deſideramus; vel demonſtrationem requirentes. Propoſitiones quarum nullam cauſſam deſiderare poſſumus vel axiomata ſunt, vel prædicatum habent, quæ eſt de definitione ſubjecti aut contrà. Eæ verò, quarum cauſſas exigimus, magnum adjumentum præbent ſcientiam: ſi enim* τὸ ὅτι *latet, de*

cauſ-

cauſſis non poſſumus eſſe ſolliciti.

Librorum] *Quæ ex Scripturâ ſacrâ Autor diſputat, conſultò præterimus, & ea Theologis committimus.*

Qui ſucceſſerunt] *Hoc præterire non potuimus, quod circa ſcholaſticorum Philoſophiam notandum neceſſarium duximus, Laborare nimirum eam malis quæ ſolidam Philoſophiam invertere ſolent, nec multum à Sophiſtarum nugis abeſſe, in accidentibus quærendo laudem. Hinc tot & tam variæ excogitatæ ſunt illi diſtinctiunculæ, quos Ariſtotelica Philoſophia, quæ id quod per ſe eſt perſequitur, ignorat.*

Neque minus gentium jus] *Magna oritur difficultas circa definitioenm juris gentium, quidnam in jure civili denotet. Videntur enim quædam dici juris gentium, quæ neque ab omnibus gentibus, neque à pleriſque ſunt approbata: & licet approbata ſint vel ab omnibus vel à pleriſque, ſi ex accidenti & fortuito hoc factum ſit, ad quid conducet illud jus noſſe? fortaſſe reſpondeat quis, præſumptionem quandam parere, non*

 ſine

ſine ratione illud eſſe introductum. Sit ita: at quæritur porrò, an etiam ICtorum Romanorum mens fuerit & intentio tale jus quærere: addidiſſent enim aliquando numerum gentium illo jure utentium, quod nuſpiam tamen factum videmus: neque enim in titulo de R. D. nec in materia contractuum alicujus gentis mentionem faciunt. Omitto quod autor obſervavit, quædam Iuris gentium dici, de quibus conſtat, vix ab ullâ gente obſervata eſſe, & contrà quædam Iuris civilis, quæ apud omnes gentes pro jure habentur, verbi gratia: Hæreditas, tutela, donatio mortis cauſsâ. Nec valde moror eos, qui diſtinguunt dicentes, ratione informationis hæc juris civilis eſſe. Nam nullus peregrinus ad hæreditatem admiſsus fuit. Qui tamen facilè ſine ceremoniis iis hereditatem adire potuiſſet, niſi Romani illis eam ſimpliciter denegaſſent. Ut ergò verum fateamur, parum conducet cognitio juris gentium ex noſtro Romano jure petita, ad propoſitum. Vix enim eſt ut tutò pro gentium jure habere poſſimus, quod Romani eidem annumerant,

aut

aut à jure gentium removeamus, quod ipſi Iuris civilis eſſe ſtatuerunt. Diſtinctio nam inter jus civile & gentium, in jure Romano obſervata, in eum finem introducta eſt, ut quod Jus prætor urbanus civibus diceret, quod peregrinus peregrinis ſciretur. Multa enim ſibi populus Romanus reſervavit, aliisque denegavit gentibus, quæ fortaſſe deneganda iis non erant: eaque juris civilis, ut quibus ſoli cives Romani præ reliquis fruerentur, eſſe ſtatuit, quæ peregrinis concedebat jura ex naturali ratione, uti putabat, deducta, & quæ omnibus hominibus juſta eſſe opinabatur, jura gentium vocavit.

Temperavi me] *Neſcio quid Autor ſibi velit, quando ait: ſeſe ab his temperaſſe quæ ex uſu ſint facere, cum hoc alterius tractationis ſit & ad politicam ſpecialem pertineat. Eſt enim juſtum quiddam eorum quod ſocietatem conſervat. Unde omnes Legislatores de juſto præcipientes id perpetuò ſpectant quod publicè utile eſt.* Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. 11. *Tantum ergo abeſt, ut juſtum ad politicam non pertineat, ut potius*

politici de formis Rerumpubl. diſputantes nil aliud quàm jus quoddam quærant. Hinc Plato ſcientiam civilem circa duo, honeſtum ſcil. & juſtum verſari tradidit. Hoc tamen concedo, Bodinum erraſſe, dum juris prudentiam ſeu rationem interpretandi leges Romanorum ſcientiæ civili immiſcuit.

Dicendi genus] *Genus dicendi conciſum & humile obſervare tenentur Philoſophi. Nam in cauſſarum deſiderio avidiſſimi ſumus. Et ne errores emergant in demonſtrando à metaphoris abſtinendum: Secus ſi fiat, de ſpecie dicentur quæ generi inſunt & contrà. Ineptum præterea eſt verborum ornatu judicium lectoris corrumpere: id enim efficiet, quominus de veritate rectè centire poſſit. Eâque de cauſſâ Mathematici non ornatu verborum problemata ſua ornare ſed potius acumine demonſtrandi probare conantur.*

LIBER

LIBER I.

CAP. I.

§ 1. IUs Civile Autor inter eos ſtatuit qui in unam gentem coiverunt, neſcio an ſatis accuratè: videtur enim gens quiddam ex multis civitatibus compoſitum, & perfectior quædam ſocietas quàm civilis eſt; quemadmodum ea quæ ex pluribus gentibus eſt ſuprà in proëmio demonſtrata eſt, perfectior eſſe ſocietate civili. Non verò omnes qui in eandem gentem coiverunt etiam cives unius civitatis dici poſſe, vel ex ſolâ Romanorum Republicâ apparet, in quâ alii nullum habebant jus civitatis, alii nominetenùs tantùm, qui jure ſuffragiorum deſtituebantur.

Sed quia] Non rectè videtur argumentari quando conatur probare de bello initium faciendum eſſe hujus tractatus: argumentum tale eſt:

> Quod ad aliud tanquam finem ducit primo loco proponendum eſt, ipſe finis ultimo loco & incidenter.
> Bellum propter pacem eſt. Ergo
> De bello primo loco; de pace ultimo & incidenter erit dicendum.

 Major

Major enim planè eſt contra analytica præcepta. Nam omnis demonſtratio fit per cauſſas, & cauſſæ ſunt principia, quæ prius & magis cognita eſſe debent, quàm ea, quæ ex iis demonſtrantur. Cùm autem cauſſa finalis potiſſima ſit, ex quâ quæ ad actiones pertinent demonſtramus: hinc ſequitur primum de fine, ſi pax finis belli eſt, dicendum fuiſſe: Eâque de cauſsâ Ariſtoteles initium ſcientiæ civilis ab ultimo humanarum actionum fine ſeu ſummo bono facit. Niſi fortaſſe dicas, bellum, ſi terminatur, pace terminari, non verò cauſam finalem eſſe cujus gratiâ bellum geritur. Id quod tamen contra mentem Autoris eſſe videtur.

§ 2. Rectè initio quando quæſtionem illam decidere vult: an bellum aliquod detur juſtum, inquirit in definitionem tum ſubjecti tum prædicati problematis.

Ita ſit bellum] Definit bellum, quòd ſit ſtatus per vim certantium, quà tales. Hæc definitio non videtur ſufficienter naturam belli exprimere, nec cum definito converti. Subſumere enim licet: conditionem vitæ pugilum eſſe ſtatum per vim certantium, quà tales. Ita conditio vitæ eorum, qui apud Romanos cum beſtiis pugnabant videtur quoque definiri poſſe ſtatus per vim certantium, quà tales. Quod ſi ergo hæc attendimus: videtur definitioni adjiciendum 1. circa quæ certando ver-

verſemur per vim. Sunt verò aut beſtiæ aut homines,iique vel ſervi vel liberi. Pugna cum beſtiis à venatoribus exerceri ſolet, qui vi & fraude feras hominibus ſubjiciunt, ut ad uſum vitæ adhiberi poſſint: Certamen cum ſervis venationi quiddam ſimile eſt, & à bello, quod inter liberos homines geritur, diverſum. Nam quemadmodum feras capere & ad debitum uſum in vitâ humanâ, applicare licet: Ita quoque vi & fraude homines ſerviles, quos natura ad id procreavit, ſibi ſubjicere & quorum gratiâ producti ſunt labores iiſdem injungere naturaliter juſtum cenſet Ariſtoteles. Unde certum eſſe videtur, quod antiquitùs omnes bello capti in ſervitutem redigerentur, quaſi bellum originem ex hoc ſumpſerit,ut feri barbarique homines rectæ rationis imperio ſubjicerentur. Fortaſſe enim cùm initio quidam coiiſſent in civitatem & per ſocietatem illam manſuefacti eſſent, undiquaque autem circa ſe barbaros feroſque haberent homines: non aliter ac nunc ad exſtirpandos lupos rapaces, aut manſuefaciendas alias feras, venationes quoque hominum inſtituiſſe, & eos, qui ultrò parere rationi nolebant, vi adegiſſe videntur. Cæterùm quod cum liberis hominibus geritur bellum cum præcedenti æquivocum eſt, nec facilè ſub eâdem definitione comprehendi poteſt. Ut verò definitio belli hac in ſignificatione ſumpti reperiatur, inde

fortaſſis principium rectè ſumitur ; quòd natura inter omnes homines liberos, qui rectâ ratione utuntur, ſocietatem quandam introduxerit quâ ſtante alter alterum lædere non debet, ſed ſubſtantiam illius conſervare. Unde colligimus, bellum inter liberos homines ſuſceptum in diſſolutione humanæ ſocietatis conſiſtere : & hoc ſi definitioni addatur, non poterunt pugiles ſubſumi, qui licet vi certant de præmio, non tamen ſocietatem humanam diſſolvunt : nec enim alter alterum occidere poteſt, ſed ita quiſque congredi tenetur, ne alterius ſubſtantia perimatur. Quibus præſuppoſitis & hoc liquet, loco generis *ſtatum* retineri poſſe. Nam in jure civili Romano ſtatus denotat conditionem hominis, quatenus vel in ſocietate aliquâ hominum vel extra eandem vivit. Qui enim è ſocietate familiari, aut civili aut liberorum hominum removetur, ſtatum mutaſſe dicitur. Quòd ſi porrò perpendamus, bellum non eſſe temerariam quandam diſſolutionem omnium jurium humanorum, ſed alicujus boni obtinendi gratiâ fieri, quippe cùm homines quà tales nil ſine ratione faciant, licebit bellum definire ſtatum eorum qui inter ſe ſocietatem humanam diſſolvunt obtinendi ejus gratiâ, quod ex ſocietate humanâ ſingulis debetur. In hac definitione tum genus tum differentia appoſitè ſumpta videntur. Nam cum ſtatus denotet conditionem

nem vitæ ratione ſocietatis in quâ vel extra quam quis vivit; differentia adjecta qualitatem generis declarat, explicando quænam ſocietas ſit, ob quam diſſolutam impeculiari ſtatu homines vivunt. Quæ Autor ſubjicit de definitione ſuâ probandâ magis pro noſtrâ faciunt: ſi enim pax unitatem denotat, bellum ſeu duellum, diviſionem; pax verò ſemper inter diverſos eſt: ſequetur pacem in ſocietate, quæ eſt unum quiddam ex diverſis conſtans, conſiſtere, bellum verò paci contrarium unitatis diſſolutionem eſſe. Quando ergò ab unitate receditur duellum eſt. Elegans quoque eſt, quòd Græcis bellum λύη à diſſolutione dictum ſit.

Quod ſi] Ratio quare bellum hodiè non privato ſed publico attribuatur hæc videtur eſſe: quòd cùm omnes ſub magiſtratu & in ſocietate civili vivant, judicio lites dirimere teneantur. In populis verò diverſis, qui ſub uno magiſtratu non ſunt, ex neceſſitate bellum locum habet.

§ 3. Proponit hic Autor ſe inveſtigaturum eſſe, an ne bellum aliquod juſtum ſit, deinde quid in bello ſit juſtum. Quod ipſum obtineri poterit, ſi obſervamus, quæ tradit Ariſtoteles *lib. 2. poſter.* Oſtendit enim ibi, primò quæri an ſit, deinde cur ſit. Quærere verò cur ſit eſſe idem, quòd quid ſit: hoc enim obtento exactius ſcimus quàm antea quod res ſit.

Nam Ius hic] Declarat quid voce Juris intellectum velit, nimirum nil aliud quam ipſum juſtum, idque negante magis quàm ajente ſenſu. Imitatur hic Autor ineptias ſcholaſticorum, qui diſtinctiunculis ſuis res ipſas confundentes vocum proprietates tollunt. An enim hoc Philoſophicum, ſi ſtatuenti dari bellum juſtum quis objiciat; nullum in bello juſtitiam quæri poſſe, ſed potius quærendum, an aliquod ſit bellum non injuſtum: ille verò, quò theſin ſuam defendat, excipiat, diſtinguendo inter juſtum ajente & negante ſenſu? Rectius fortaſſe procedemus dicendo, quæſtionem an bellum ſit juſtum deferendam eſſe, cùm enim bellum, ut ſuprà definivimus, ſit ſtatus eorum qui inter ſe ſolverunt ſocietatem humanam, juſtum autem ſit è numero eorum quæ ſocietatem humanam conſervant: certè juſtum in bello vix invenies. Quia verò non omne quod non eſt juſtum injuſtum eſt, meritò quæritur, an quoddam bellum non ſit injuſtum.

Sicut autem Societas] Dividit jus in rectorium & æquatorium, idque ita vocat, quod inter æquales, fratres nimirum cives, amicos eſt; illud, quod inter regem & ſubditos: Sed confundit Jus amicitiæ cum Jure ſimplici. Eſt enim amicitia, alia *ἐν ἰσότητι* alia *καθ' ὑπεροχὴν*, eaque in fratribus cernitur; hæc inter parentes & liberos. *Ariſtot. Ethic. lib.* 8. *cap.* 8. *&* 9. Et hæc divi-

diviſio circa amicitiam uſum habet: ſi enim nimium augeatur inæqualitas, tandem ceſſat amicitia: velut ſi unus amicorum fiat rex, alter plebejus permaneat. At in Juſto ſimpliciter, nihil utilitatis afferre videtur, quia ſi accidit, perſonas æquales eſſe, habebunt æqualia, ſi inæquales, in æqualia.

§ 4. Cùm præcedente §. unam juris ſignificationem propoſuerit, nimirum quòd ſumatur pro Juſto: ad alteram accedit, eam ſcilicet, quæ ad perſonam ſpectat, quo ſenſu Jus vocat qualitatem moralem perſonæ competentem ad aliquid juſtè habendum vel agendum. In hac Autoris definitione hoc reprehendendum eſſe videtur, quòd genere aliquo latiſſimo uſus ſit. Ego definirem Jus facultatem aliquid agendi circa alterum, quò Juſtum obtineatur. Et hic ſenſus accommodari poteſt voci Juris quando de belli jure quærimus, id eſt de facultate diſſolvendi ſocietatem humanam, quo juſtum obtineatur.

Qualitas autem] Diſtinguit qualitatem in facultatem & aptitudinem, illam perfectam qualitatem ſeu actum vocat, hanc minus perfectam ſeu potentiam. Quæ diviſio an locum hic habere poſſit, dubito, & fortaſſe quid ſtatuendum ex ſubſequentibus manifeſtum fiet. Obſcura præterea eſt, nec ſatis de ſenſu ejus conſtat: Quantum tamen conjicere licet, quia ut perfectum & imperfectum illa duo ab invicem

cem diſtinguit, ut potentiam proximam & remotam ea concipere poſſemus.

Aut quia actus eſt duplex, primus, ut ſcientia, ſecundus ut contemplatio. Erit facultas concipienda, ut actus primus & aptitudini contradiſtinguetur quemadmodum actus primus potentus, quæ actus primi non ſunt. Aut verò ſe habebunt, ut potentia ejus in quo eſt actus primus ad ejus potentiam in quo non eſt, verbi gratia, potentia contemplandi in ſciente & geometrâ & in eo qui geometriæ peritus non eſt. Aut verò per facultatem intelligit principium agendi ſeu potentiam activam per aptitudinem principium diſponens ad patiendum.

§ 5. Facultatem nomine ſui venire Jetis, ſeque Jus ſtrictè appellaturum ait, neſcio an ſatis benè. Nam libertatem nemo facilè Jus in ſe vocabit, nec dominium Jus in res videtur propriè dici poſſe;nec fortaſſe pater in liberos, aut dominus in ſervos jus propriè habere dicitur. Id quod Ariſtoteles *c.* 10.*l.* 5. *Eth.* Oſtendit:& ex noſtra definitione juris apparet:inter quos enim lex non eſt, inter eos jus non intercedit: at inter hos lex non eſt. Quæ vero ad alterum ſunt, Jura appellari poſſunt: ut uſusfructus, pignus, creditum. Etenim non quempiam facile præſertim veterum Philoſophorum invenies, qui libertatem jus in ſemetipſum dicat. In patriâ & herili poteſtate aliter

ſe

ſe res habet: leges enim quodammodo intercedere poſſunt. Conſentiunt mecum U. Romanæ 13, §. 1. & 19. de damn. inf. quæ Dominum juri contradiſtinguunt, liberalitatem verò nuſpiam Jus aliquod in nos metipſos appellitant. Verùm de his infrà, quando de dominio & libertate ſermo erit, agemus.

Facultatem iterum duplicem facit, vulgarem & eminentem; hanc regiæ poteſtati, illum ſingulis patribus famil. attribuit, ſtatuitque imperantes majus dominium habere in res ſingulorum ad bonum commune, quàm domini ſingulares. Quod obſcurum admodum eſt, & videtur Autor confundere dominium rerum cum imperio, aut ad minimum imperium herile & tyrannicum cum civili. Nam uti infrà oſtendetur, imperium civile non dominium comprehendit in res ſingulorum, ſed diſponit circa mores civium ſeu juſtum univerſale. Quia verò munus civis exigit, ut omnia bona pro ſalute patriæ profundat: ad ejuſmodi actionem virtuoſam imperans ſubditos cogere & niſi ultrò faciant, vel aufferendo vel pænâ coërcendo vim ardere poteſt. Non tamen dominium abſolutum in bona civium eidem competit.

§ 7. & 8. Exponit ſignificationem vocis Aptitudinis, quod nimium ex eâ denotet dignitatem, quam in ſolâ diſtributivâ juſtitia accendendam eſſe commentatores Ariſtotelis arbi-

arbitrati ſunt. Duplici ergò modo peccat hîc Autor 1. quòd dignitatem cum commentatoribus exiſtimet in ſolâ diſtributivâ Juſtitiâ locum habere, idque ex mente Ariſtotelis; Cùm tamen is *κατ' ἀξίαν* commutationes inſtitui aſſerat. *lib.* 9. *Ethic.* *c.* 1. idque latius deducat *lib.* 5. *c.* 8. 2 Quòd in Juſtitiâ diſtributivâ fingat aliquam tantùm potentiam paſſivam; quaſi diſtributionem expectare tantùm, non verò petere poſſint, qui re communi participant. Id quod infringunt, quæ de communi dividundo, familiâ erciſcundâ, venditione bonorum debitoris & diſtributione in Chirographarios in jure noſtro traduntur.

§ 8. Facultatem ſeu potentiam activam reſpicere juſtitiam expletricem ait, ductus errore eorundem commentatorum, qui duas ſtatuunt juſtitiæ ſpecies, alteram commutativam, alteram diſtributivam, & hujus diviſionis Autorem Ariſtotelem eſſe aſſerunt, quod tamen ipſi nunquam in mentem venit. Autor præterea noſter falsò affingit Ariſtoteli, cum *συναλλακτικὴν* nominaſſe priorem ſpeciem, cum tamen nuſpiam, ubi de juſtitiâ agit, hac voce utatur. Sed ſtatuit is tres ſpecies juſtitiæ 1. *διανεμητικὴν* diſtributivam. 2. *διορθωτικὴν* correctivam. 3. *τὸ ἀντιπεπονθὸς* retributivam. Duas poſteriores ſpecies ſolent Commentatores confundere & pro unâ habere, quam &

com-

commutativam vocant. Hinc oriuntur graviſſimi errores; cùm enim correctiva fiat ſecundum arithmeticam proportionem; retributiva ſecundum geometricam: has ſpecies jungentes, & unam commutativam juſtitiam inde conflantes etiam fundamentum retributionis in arithmeticâ proportione collocant. Difficultates præterea haud leves peperit ignorantia proportionis; finxere enim proportionem geometricam in geometriâ, arithmeticam in ſcientiâ arithmeticâ proponi, hisque tertiam adjecerunt muſicæ propriam, harmonicam vulgò appellatam. Quæ tamen omnia & falſa & inepta eſſe oſtendimus in quâdam diſputatione de Ratione & Analogiâ. Ex qua modò ſufficiet indicaſſe geometricam proportionem dici à menſurando (γεωμετρεῖν enim Græcis idem ſignificat, quod μετρεῖ) & propterea geometricam proportionem Latinè menſurativam dici poſſe, quæ menſurando, id eſt, multiplicando & dividendo abſolvitur. Arithmetica verò proportio addendo & ſubtrahendo perficitur; eſt enim ἀριθμεῖν Ariſtoteli addere & ſubtrahere, id eſt, retrò & antè numerare, verbi gratia, ſi duo ſint numeri inæquales 12 & 8, hi æquantur proportione arithmeticâ, ſi dimidium reſidui producti ex ſubtractione minoris à majori minori additur & à majori ſubtrahitur: quod ſi enim duo ſubtrahantur de 12

& ad-

& addantur octonario, producentur ab utrâque parte numeri æquales, nimirum duo denarii, quos æquales dijudico, propter æqualium numerorum additionem & ſubtractionem. Et hæc proportio in correctivâ juſtitiâ adhibetur: ortâ enim inæqualitate, judex detrahit aliquid plus habenti & damnum paſſo idem addit, quò æquales redduntur. In diſtributivâ juſtitiâ obtinet geometrica proportio, quia diſtributio ita inſtituitur, ut per quem numerum lucrum totum metitur ſummam à perſonis omnibus collatam ut contrà per eundem etiam metiatur, quod ſingulis tribuitur perſonis id quod ſingulis collatum eſt & contrà. Verbi gratia, ſumma à duobus mercatoribus A.& B.collata eſt 6000 aureorum A.contulit 4000 & B.2000; lucrum eſt 600 aureorum uti ergo 600 metiuntur 6000 per 10: ita quoq; quod ex lucro datur mercatori A.debet collatam ab eo pecuniam 4000 metiri per 10 ſcil., Quare accipit 400 aureos quia 400 per 10 multiplicati producunt 4000 & B.mercator 200 conſequitur, quia 200 metiuntur 2000 per 10. Eadem geometrica proportio præbet commutationibus fundamentum juſtitiæ: quoties enim metitur opus ſutoris ratione utilitatis, conſideratum opus architecti, tot opera tenetur in permutatione ſutor architecto dare, quò æqualitas ſervetur, verbi gratia, ſi domus centuplo plus utilitatis præbet quam per calceo-

ceorum, etiam pro unâ domo centum calceorum paria dare convenit : uti ergò metitur uſus unius rei uſum alterius, ita alterius numerum illius numerus ut metiatur neceſſe eſt. Notandum verò eſt, juſtitiæ correctivæ non eſſe locum, niſi beneficio retributivæ inveſtigetur æſtimatio damni : plerumque enim obſcurum eſt quanti damnum ſit æſtimandum.

Nam ut poſſeſſor] Rationē reddit Autor, quare nova nomina finxerit & loco commutativæ juſtitiæ uſus ſit nomine expletricis : pro quo obtinendo, ponit tale exemplum : ut poſſeſſor non modò malæ, ſed & bonæ fidei reſtituat domino rem ipſius, non eſſe ex commutatione ad expletricem tamen juſtitiam pertinere. Reſpondeo, pertinere hoc ad ſolum correctivam juſtitiam : erroremque Autoris inde eſſe, quòd commentatorum ſententiam Ariſtoteli aſcripſerit, qui ex duabus juſtitiæ ſpeciebus correctivâ ſcil. & retributiva unam ferere.

Quod verò idem] Ex falſa commentatorum hypotheſi de ſpeciebus juſtitiæ probat proportionem geometricam & arithmeticam locum ſemper habere in ſingulis juſtitiæ ſpeciebus, prout Ariſtoteles aſſignavit. In contractu inquit, ſocietatis comparata proportio ſeu geometrica obſervatur : atqui contractus iſte ad commutativam juſtitiam pertinet, quam arithmetica proportio dirigit. Verùm ſocietas commutatio omnium eſt, licet propter con-

conventionem, cui innititur ad contractus jure civili referatur: (in hoc enim conventiones, quæ proprium nomen & certam formam conſequuntur, contractus dicuntur) quare nec Ariſtoteles enarrans commutationes iiſdem ſocietatem annumerat. Deinde & falſum eſt, in inſtituendis commutationibus obſervari arithmeticam proportionem; hanc enim in correctione ſolâ adhiberi antea diximus.

Et ſi unus tantum] Diſtributio fit vel ex lege vel ex jure naturæ; ſi fiat ex jure naturæ & unus inveniatur dignus profectò non per ſimplicem commenſionem attributio abſolvetur, ſed collatione, quam Ariſtoteles 5. *Ethic.* oſtendit: ut fiat ſicut totum ad totum, ita quælibet partes ad id quod recipiunt. Et ex hac collatione addiſcetur, uni iſti & ſoli quid tribuendum eſſe. Solet etiam hîc alia ſubeſſe fraus, quando præmia virtutum ad juſtitiam particularem referunt, quæ tamen nihil aliud ſunt, quam voluptates, quibus ducti moleſtias in actionibus virtuoſis ſubeunt.

Neque magis] Vult refutare eos, qui ſtatuunt, diſtributivam juſtitiam verſari circa res communes, reliquas ſpecies circa res ſingulorum. Exemplo utitur tali: ſi Reſpublica debitrix ſit, & ſolvat, quod quis in publicum impendit, expletricis Juſtitiæ hoc eſſe non

ſe non diſtributivæ ſeu attributricis dicit. Reſpondeo, Hic Rempublicam locum privati obtinere, & non aliter ac quemvis privatum debitricem eſſe. Huic addit exemplum de legato, quod putat ex attributrice Juſtitiâ oriri, & tamen non fieri è communi. Sed legatum eſt donatio, quæ ex jure amicitiæ oritur, nec quicquid commercii cum juſtitiâ diſtributivâ habet. Quâ de cauſsâ nec olim ex pacto donationis actio dabatur, ſed pro nudo pacto, id eſt, tali quod negotio civili parienti actionem non accedit, habebatur.

§ 9. Jus legem quoque ſignificare tradit: legem autem largiſſimè ſumptam definit, quòd ſit regula actuum moralium obligans ad id, quod rectum eſt. In hac definitione varia corrigenda videntur. Nam regula metaphorica vox eſt, in cujus locum propria ſubſtituenda: fateor quidem quod architecto in ædificando eſt regula, id civibus eſſe legem in agendo: non idcircò tamen rectè per regulam definitur. Genus verò legis ita commodè inveſtigabimus, ſi quo pacto regula dicatur, inquiramus: nimirum id aliter fieri nequit, quàm per Syllogiſmum, cujus major propoſitio lex eſt; ſumentes enim aliquid ſub ſubjecto legis, efficere tenemur, ut illi quoque inſit prædicatum. Lex ergò quædam enunciatio eſt univerſalis de rebus juſtis præſcribens: quod fortaſſe autor etiam vult,

vult,quando ait: eſt regula actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt : rectum enim in actibus moralibus quid aliud quàm juſtum univerſale ? Loco obligationis ſubſtituimus vim coactivam, obligatio enim à quâdam vi coactivâ oritur. Unde definitionem legis talem ponimus : Lex eſt enuntiatio univerſalis præſcribens facienda vel omittenda in aliqua ſocietate cum vi coactivâ conjuncta.

Permiſſio autem] objicere quis poſſet ex *l. 7. ff. de* LL.; quia virtus legis eſt non modò imperare ſed & permittere, obligationem aut vim coactivam in definitione legis ponendam non eſſe.Reſpond. rectè Autor,permiſſionem non eſſe actionem legis, ſed potius actionis legis denegationem; interim tamen & coactivam junctam habere, quatenus, ne alii ei cui quid permittitur aut impedimento ſint aut ab eo quaſi debitum exigant, ad quod per conceſſionem non tenetur, vim addit.

Diximus autem] Dixit non omnes leges ad juſtum, ſed quaſdam ad rectum obligare, propterea quia rectum ad alias quoque virtutes pertinet. Verùm ſciendum, aliud juſtum eſſe univerſale, aliud particulare : illud in genere eſt quodlibet virtuoſum ad conſervationem ſocietatis humanæ pertinens. De quo cum omnes leges tradant, meritò dicimus leges circa juſtum eſſe non particulare ſed univerſale. Non ergò eſt, & ut propterea peculiare

rectum juſto contradiſtinctum excogitemus; quia & hoc quod honeſtum eſt ad ſalutem Reipubl. tendens juſtum propriè vocatur.

Iuris ita accepti] Juſtum ab Ariſtotele in naturale & voluntarium rectè dividi ait: voluntarium verò dici legitimum legis vocabulo ſtrictè accepto. Verùm ex definitione quam juri legitimo aſſignavit Ariſtoteles apparet non eum voce legis ſtrictius uti, quia legitimum definit, quod non juſtum eſſet, niſi legibus eſſet definitum. Licet autem leges quædam de jure naturali præcipiant: non tamen jus illis legibus comprehenſum legitimum eſt; quia valet non ex placio & lege, ſed lege etiam nullâ latâ per naturam.

§ 10. Definit Autor Jus naturale dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem &c: Hæc definitio admodum obſcura eſt: quid enim dictatum rationis ſit, obvium non eſt. Fortaſſe enim exiſtimare quis poſſet id dictatum rationis eſſe, quod cuilibet opinio concepta perſuadet. Si autem tale quippiam non eſt, aliter deſcribi deberet. Præterea quid natura rationalis ſit, & convenientia aut diſconvenientia cum eâdem non percipio: niſi Jus naturale concipiat Syllogiſmum, quem facimus juxta rectam rationem operantes & per naturam rationalem intelligit majorem propoſitionem.

Scien-

Sciendum præterea] Jus naturale de iis quoque agere ſtatuit, quæ humanæ voluntatis actum conſequuntur, adeoque in hypotheſi quâdam dependente à merâ voluntate ſubſiſtunt. Quòd ſi hoc admittitur, omne juſtum per Syllogiſmum deductum ex juſto legitimo erit naturale, tendetque in infinitum; quia infinita à voluntate hominum poni po[illegible] etiam quæ cum honeſto pugnant. Eruntne quæ in tali fundantur hypotheſi Juris naturæ? An dominium, quod exempli loco profert, Juris naturæ vel voluntarii ſit, infrà declarabitur.

Eſt autem Ius naturale] Tradit de immutabilitate Juris, eam ita comparatam eſſe, ut quemadmodum Deus facere non poſſit, bis duo non eſſe quatuor, ita nec eundem, id quod juſtum eſt, facere poſſe, ut juſtum non ſit. Videtur autem hoc cum grano ſalis eſſe concipiendum; quia quod de numeris proponit, verſatur in materiâ neceſſariâ: at juſtum in materiâ contingenti eſt, quod univerſaliter quidem conſideratum perpetuò tale manet, & neceſſitatem habet: at ſi applicetur ſingularibus propter circumſtantias quandoque ex accidenti mutationem recipit. Verbi gratia ſi ſumas duo qualiacumque & in quâcumque materiâ & quidem bis, habebis quatuor: at ſi ponas depoſitum, non ſemper & quibuſque circumſtantiis accedentibus ſequetur, illud reddendum eſſe, ſed interdum non eſſe reddendum ſuadebit ratio. Inde enim æqui-

tas

taſ oritur. Id quod perobſcurè innueri videtur Autor his verbis : *ſit tamen interdum* &c. *add. Ariſt. lib. 5. cap.* 10. *Ethic.*

Sunt & quædam] Iterum ad jus naturale refert, quod ex hypotheſi tale eſt & inſtituto; quia bona eſſe communia ex voluntate potius juſtum eſt, quam naturâ : ſocietati enim humanæ conſervandæ magis conducit propria habere bona, quam communia,uti Ariſtoteles demonſtrat *lib. 2. Polit.* Sic jus ſuum, per vim conſequi juſtum eſt ex hypotheſi, ſi nullus ſit magiſtratus:ſimpliciter juſtum non eſt,quia ſalutare eſt ſocietati humanæ ſimpliciter habere Magiſtratuum ope iſta perfici. Hoc idem ſeq. cap. de bello ducturi ſumus; non ſimpliciter ſcil. illud juſtum eſſe, ſed quatenus diverſa imperia nondum in perfectam ſocietatem coïerunt, nec dum judicia conſtituta ſunt, coram quibus de controverſiis diſceptare liceat.

§ 11.Diviſionem,quâ jus naturæ à ICtis Romanis dividitur in id quod commune eſt homini cum brutis & quod hominum eſt proprium, uſum non habere aſſerit. Puto autem inſignem ejus uſum eſſe ad infligenda criminibus ſupplicia. Nam ſi quis vitio quopiam inſito trahitur ad id faciendum, à quo etiam bruta propter conſervationem ſocietatis abhorrent, eum extreme vitioſum eſſe oportet. Item ſi quis vitio quopiam ducitur ad id negligendum, cir-

ca quod ductu naturæ anxiè laborare bruta videmus propter conſervationem ſocietatis: in eo homine ſummam quandam perverſitatem & extremam vitioſitatem eſſe colligitur: verbi gratia qui infantem malitioſe ex iracundiâ vel alio vitio occidit, cùm ad fœtum conſervandum nihil non faciant bruta ductu naturæ, eum vitioſum maximè eſſe oportet. In ſummâ vitium quod magis naturalem ſocietatem lædit, gravius quoque eſt & deterius duriorique pænâ dignum. At quod deſtruit ſocietatem quæ in brutis quoque cernitur, eam, quæ maximè naturalis eſt, lædit. Eſt autem ea ſocietas, quam communem cum beſtiis habemus maximè naturalis. *Ariſt. lib.* 1. *Polit.* Et jus quod ejuſmodi ſocietatem regit & conſervat naturale vocant ICti Romani, quâ de re in Commentario noſtro ad Inſtituta fuſius tractabitur. Quare non video, quomodo diviſionis hujus uſus nullus eſſe dici poſſit.

§ 12. Duos eſſe modos tradit probandi aliquid Juris naturæ eſſe, alterum vulgarem à poſteriori, alterum difficiliorem & à priori. Clarius id in hunc modum proponi poteſt: an aliquid ſit juris naturæ vel ab opinione hominum peti vel ex naturâ ipsâ: quando enim videmus, omnes aut pleroſque homines aliquid ita ſe habere opinari, illud veriſimile eſſe concipimus: & tunc porrò in cauſas inquirimus; quibus cognitis rem exactè ſcimus.

Cauſ-

Cauſſas autem quærimus quando quid res ſit inveſtigamus. *Ariſt.lib. 2. poſter. anal.* Verbi gratia : Dare jus naturale, videmus ab omnibus aut pleriſque hominibus pro certo haberi : ut verò hujus rei certitudinem conſequamur, quærimus quid ſit jus naturale & per *eſſe* ſingularium partium in definitione *eſſe* definiti colligimus. Si enim juſtum naturale eſt quod conſervat ſocietatem quà talem à naturâ productam : & conſtet exiſtere ſocietatem quandam humanam per naturam, prout id latè demonſtrat Ariſtoteles 1.*Polit.* non dubitamus, quin detur aliquod jus naturale. Sed illud Ariſtoteles in perfectiſſimâ, quam is ponit, ſocietate, civili nimirum quærit. An verò populorum ſocietas à naturâ ſit, de hac re altum apud ipſum eſt ſilentium. Nos eódem modo, ut civilem ſocietatem, ita univerſalem eſſe à naturâ videmur probare poſſe: uti enim ſinguli homines à naturâ producti ſunt certæ ſocietatis civilis partes, ita quoque ſingularum regionum gentes, quæ mutuæ invicem occurrant indigentiæ. Et cum ſocietas illa univerſalis à naturâ ſit, etiam quod eandem conſervat à naturâ erit.

§ 14. Jus humanum dividit in civile, latius patens & arctius. Et jus arctius ab ipsâ poteſtate civili non veniens, quanquam ei ſubditum, præcepta patria & dominica comprehendere ſtatuit. Sed hæc minus accurata eſſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

videntur; quia juſſus patris aut domini jus voluntarium minus rectè appellatur: cùm juris nomine non veniat: jus enim voluntarium ſeû legitimum in univerſali propoſitione conſiſtit: eſt enim juſtum quiddam univerſale, ait Ariſtoteles 5. *Ethic. cap.* 10. dirigens actiones ſingulares. At juſſus patris tale non eſt. Præterea jus legitimum ſeu voluntarium naturaliter ex conventione eſt; quia eſt in liberos homines & æquales, qui nullam in ſe niſi voluntate declaratâ recipiunt obligationem; eaque ex conventione eſt vel tacitâ vel expreſsâ. At liberi pars quædam patris ſunt, nec inter eos obligatio intercedit. *Ariſt. lib.* 5. *Ethic. cap.* 10. *& lib.* 1. *M. Mor. c.* 34. Ita inter gentes & populos quicquid juſti legitimi intercedit à conventione eſt vel tacitâ, vel expreſsâ eorundem. In ſocietate civili vel conſentiunt in unum, ut quicquid ille pronunciet, juſtum ſit, vel in paucos, ut voluntas illorum lex ſit, aut denique ad condendam legem conveniunt ipſi & ſinguli voluntatem declarant. Idque procedit in bonis formis: in regio enim & ariſtocratico ſtatu imperium eſt in volentes. At in tyrannico & oligarchico ſtatu in nolentes eſt, & meri juſſus ſunt, quæ præſcribuntur nec perfectam legis & juris naturam habent. Quare fortaſſe definitioni legis humanæ, de quâ ſuprà §. 9. egimus, addendum videtur, quòd ſit

in

in liberos homines & æquales, eritque definitio legis, quòd ſit enunciatio univerſalis cum vi coactivâ conjuncta præſcribens facienda & omittenda liberis hominibus & æqualibus ad ſalutem ſocietatis humanæ. Jus legitimum quod jure civili arctius vocat Autor, conſiſtit in ſtatutis municipiorum, collegiorum, item in privatorum placitis. Statuta collegiorum, quæ ſocietatis civilis pars ſunt, contraria legibus pertinentibus ad ſalutem totius civitatis irrita ſunt; partes enim ſingulæ civilis ſocietatis ad totius ſalutem tendere debent. Placita privatorum ſunt pacta, quæ contractus & negotia eorundem dirigunt, & conſenſu utriuſque partis contrahentium, aut unius arbitrio contractibus aliiſque negotiis adjiciuntur. Hinc pacta negotiis veſtita ſeu iiſdem adjecta legem dant contractibus eoſdem informando *l.* 7. *ff. de pact.* Eâque de causâ in jure civili leges vocari ſolent. *Rubr. & t. t. ff. de L. Commiſſor.* & paſſim. Et Ariſt. *l.* 1. *Ret.* 15. definit pactum, quod ſit lex privatorum. Ita defunctus eligendo hæredem in teſtamento ei ut ſolvat legata præſcribit, quæ, ſi vult adire hæreditatem, præſtare tenetur. Et hæc teſtatoris voluntas eſt jus legitimum ſervandum ab eo qui hæreditatem adit *Nov.* 22. *c.* 2. Hinc legare eſt quaſi legem implendam ab hærede ſuis rebus dicere.

§ 15. Quæ §. ſeqq. traduntur de jure divino, conſultò prætermittimus: animus enim eſt in jus naturæ inquirere, & quæ de divino diſceptari poſſunt Theologis relinquere.

CAP. II.

§ 1. UT demonſtret bellum quoddam jure naturæ licitum eſſe, ex Stoicorum doctrinâ præſupponit, eſſe quædam prima naturæ, quædam verò his conſequentia; ad ea pertinere ait, quod omne animal ſtatim ac natum eſt, tendat ad ſui conſervationem & contraria propulſet: poſt hæc verò cognita ſequi notionem convenientiæ rerum cum ipsâ ratione, quæ tamen illa potior ſit. Addit rationem ex Stoicis; quòd prima naturæ nos quidem commendent rectæ rationi, ſed ipſa recta ratio nobis charior eſſe debeat, quàm illa ſint, à quibus ad hanc venerimus. Hæc potius Oratoria ſunt, quàm Philoſophica, nec ita comparata ut aſſenſum ſine demonſtratione impetrent. Diſputat enim hac de re latè & ſubtiliter Ariſtoteles *l.* 9. *Eth. c.* 8. Nam in honoribus, pecuniâ & aliis rebus, de quibus homines decertant, qui ſe magis diligit & aliis præfert non proximo tantùm nocet, ſed & ſibi, vitioſis animi perturbationibus obtemperando. Probum verò eumque, qui menti paret potius quàm affectibus ſui amantem quàm maxi-

maximè eſſe neceſſe eſt. Hoc enim ipſo & ſe & alios beatos efficit, quia unam honeſtam actionem præfert omnibus reliquis bonis, de quibus contendunt homines, & amicis dat, quò ipſe amico ſit ſuperior & honeſtate eundem vincat. Quando ergò homines rationis uſu & virtutibus nondum plenè inſtructi ſtudent conſervationi ſui; id non principium, ex quo quid juris naturæ ſit æſtimemus, reputandum eſt. Nam quod infelicitatem gignit non modò in agentibus, ſed etiam iis circa quos agendo illi verſantur, principium juſti eſſe nequit. Id quod ex definitione injuſti traditâ ab Autore appartet: ſi enim injuſtum eſt, quod repugnat naturæ rationali & ſociali, juſtum erit, quod eandem conſervat, ſeu quod communiter utile eſt; aut, quod idem, quod conſervat & ſalvam facit ſubſtantiam ſocietatis: ſubſtantia autem ſocietatis in ratione partium ad invicem conſiſtit.

Inter prima naturæ] Prima naturæ, id eſt, quod homines naturaliter tendant ad ſui conſervationem & ſe quàm maximè ament, nihil ad juſtitiam belli faciunt, quia diximus, ex his juſtum quæri non poſſe, cùm originem potius injuſto præbent. Non enim procedit hoc argumentum: Quicquid vitæ membrorumque conſervationi & rerum ad vitam utilium retentioni, vel acquiſitioni inſervit non injuſtum eſt. Bellum his inſervit; quia finis belli

belli in iis conſiſtit. Ergo. Reſponſio enim in promptu eſt, majorem eſſe falſam: ita enim quæcunque improbi agunt non injuſta dicenda forent.

Cum animantibus ſingulis] Nihil ad rem facit argumentum ab armis brutorum, quæ uſu rationis deſtituta inter ſe de juſto diſceptare nequeunt, cùm juſti participes non ſint. Homo verò ſine armis à naturâ productus rationem habet, quâ quid juſtum inquirere & de mutuò tribuendis judicare poſſit. Nec obſtat quòd Ariſtoteles habet, hominem omnibus armis à naturâ videri inſtructum, dum manibus quælibet apprehendere poteſt. Hæc enim ad bruta, quæ rationem audire nequeunt coërcenda ipſi data eſſe videntur; non niſi ex accidenti adverſus homines eos qui rationem audire nolunt vel non poſſunt. Ex quibus interdum apparet, bellum non niſi ex accidenti & hypotheſi ob defectum Judiciorum tolerari poſſe, nec eſſe medium hominum proprium ad obtinendum quod juſtum eſt. Et huc rectius quadrat locus Cicer. ab Autore citatus: *Cùm ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim, cùmque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum; confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Concludo ergò, bello locum tunc eſſe, quando aliud medium non ſupereſt, quo juſtum nobis debitum conſequamur. Et propterea quod executio eſt

aut

aut pœna in civitate, illud eſt bellum inter diverſos populos. Hinc duplex belli cauſa 1. executio in juſto particulari & 2. pœna in juſto univerſali. Ceſſante enim Magiſtratus officio cuilibet videtur naturâ conceſſum exequi & pœnas infligere.

CAP. III.

PVblicum eſt] Neſcio quo pacto definitio hæc approbari poſſit, quòd bellum publicum dicatur, quod geritur auctore eo qui Jurisdictionem habet. Nam prætor Romanus Jurisdictionem habebat, neque tamen bellum publicum injuſſu populi gerebat. non enim bellum, quod gerit publica perſona jus belli non habens, publicum dicendum eſt.

Sed de Privato] Antiquius eſt privatum bellum publico, quia tunc maximè frequentabatur, cùm nondum in civitatem coiviſſent homines, nec inter eos eſſent judicia. Demonſtravimus enim *præced. cap.* bella tunc licita eſſe, ſi ceſſent judicia. Hinc aggreſſorem impunè licet occidere, quia ceſſante viâ rationis, conceſſum in eum, qui contra ſocietatem humanam nos aggreditur, diſſolutâ eâdem ſtatuere, quod Magiſtratus ipſe ſtatueret. Quemadmodum verò nondum inſtitutis civitatibus magna hæc fuit humanæ ſocietatis imperfectio, adeò ut maximorum bonorum Au-

tor Ariſtoteli dicatur *l.* 1. *Polit. c.* 2. qui in civitatem homines collegit & judicia inſtituit: ita & dicemus eum maximorum bonorum auctorem fore, ſi quis judicia inter populos cunctos introducturus ſit.

Quanquam enim judicia] Putat judicia non eſſe à naturâ: ſed contra eum facit, quòd ſtatuit, ea, quæ conveniunt naturæ humanæ, quâ quis homo eſt, non eſſe juris voluntarii: at per diſceptationem ratiotinando juſtum conſequi, naturæ humanæ convenit, quâ quis homo eſt, id eſt, quatenus mentem habet & rationem: id enim eſt ultimum conſtituens hominem, quo ab animalibus reliquis differt. Nec obſtat ab initio judicia non fuiſſe, ſed tandem cum civitatibus eſſe introducta: multa enim homini quatenus habet rectam rationem, naturalia ſunt, quæ nuſpiam obſervantur: Optima enim Reſpublica quàm maximè naturalis propter hominum malitiam ne introduci quidem poteſt.

§ 2. *Eſt tamen*] Fundata hæc ſunt in iis, quæ præcedenti Cap. in univerſum demonſtravimus; bella ex hypotheſi juſta eſſe, ſi ſcilicet per judicia conſequi jus noſtrum non poſſumus.

Bellum autem publicum minus ſolenne] Tribuit omni Magiſtratui poteſtatem jus belli gerendi. At demonſtratum eſt ſupra, bellum naturaliter juſtum non eſſe, ſi res expediri poſſit

per

per judicium. Quod ſi ergò ſit ſumma poteſtas cujus ope adverſus Juriſdictioni ſuæ ſubjectos magiſtratus ſe tueri poteſt, injuſtè bellum geret. Et proinde non à mero legitimo jure hoc dependet, quod tamen ſtatuere videtur, ſed in jure naturæ eſt fundatum.

Nam primum] Non videtur bellum vocandum, quando Magiſtratus propter imperium jurisdictioni immixtum manu militari utitur, quò Juriſdictio expediatur: neque enim diſſolvitur inter Magiſtratum & inobedientem civem humana ſocietas; aut ſi vel maximè Autoris definitionem belli retineamus, non exiſtunt in ſtatu per vim certantium quà tales ſunt. Quis enim coactivam vim, quam quilibet Magiſtratus habet, jus belli vocet? bellum enim in eos geri dicitur, in quos vis coactiva nobis non competit, ſed potentiâ nos æquare poſſunt. Hoc tamen verum eſt, ſi Magiſtratus quiſpiam præfectus ſit provinciæ cum imperio ſeu exercitu, & ſeditio oriatur, eum adverſus ſeditioſos ritè proprio conſilio bellum ſuſcipere. Sed hoc quoque ſuperiore autore fit ob mandatum generale, quod habet. Idque ipſe Autor tradit *ſeq.* §. 5. & tandem nobiſcum concludit publicum bellum fieri autoritate ſummæ poteſtatis.

§ 5. An bellum quod à Magiſtratibus ſuperiorem agnoſcentibus geritur publicum dicendum ſit quærit Autor. Et nullum dubium

eſt, quin ſi propriâ autoritate ſuſcipiant, privatum illud & propterea naturaliter injuſtum ſit; quia ſuperioris autoritate lis decidi poterat. Quod ſi ex mandato ſeu generali ſeu ſpeciali ſupremæ poteſtatis id faciant, propter autoritatem illius publicum erit. Quare non videtur, quod Autor facit, homonymia peculiaris querenda in voce publici.

At ſi quis rectè] Non accuratè Autor hic videtur partiendo progredi per dichotomiam proponendo, quod Ariſtoteles ſimpliciter dixit, in Republica tria eſſe, quorum ſalus ſpectanda eſt, ut ſalva ſit, magiſtratum, ſenatum & judicia, & principalem partem eſſe ſenatum ſeu eam partem pens quam eſt poteſtas deliberandi de pace, bello &c. Hoc Autor nequa pars omittatur dividendo proponit in hunc modum: Qui civitatem regit, vel per ſe regit vel per alios, & quidem vel magiſtratus vel curatores. Magiſtratum ergo videtur definere, per quem ſumma poteſtas regit civitatem, facitque adeò eundem inſtrumentum ſummæ poteſtatis. At id naturæ magiſtratus convenire non videtur; quia ſuâ naturâ eſt quiddam quod primum movet: verbi gratia, licet ſenatus de legibus, de pace, bello &c. deliberet, non tamen ſine magiſtratu qui convocet dirigatque eundem, eſſe poteſt: is autem rectè dicetur eſſe quiddam per quod ſumma

ma poteſtas regit; quia fortaſſe illo magiſtratu nihil ſuperius eſt. Sic conſules Romani in liberâ Republicâ cogebant ſenatum & dirigebant conſilia quæ Reipublicæ causâ inſtituebantur: nemo autem fortaſſe eos conciperet inſtrumentum per quod ſumma poteſtas regit, quia in locum regum ſuccedebant, & quod rex erat, id poſtea erant conſules. Niſi ergò & Reges velis dicere ſummæ poteſtatis inſtrumenta; nec de omnibus Magiſtratibus dicere licebit, quod Autor iiſdem attribuit. Hinc & Ariſtoteles eſſentiam Magiſtratus ἐν τῷ ἐπιτάττειν potiſſimum ponit. Nec obſtat, quod idem dicat in definitione Magiſtratus, ὅσαις ἀποδίδοται; quia in Regnis electitiis regibus quoque datur ſeu aſſignatur poteſtas, nec tamen rectè dici poſſunt quippiam, per quod ſumma poteſtas imperat: ea enim penes ipſos eſt. Deſumpta autem videtur ratio dividendi Autoris ex ſtatu tyrannico Romanæ Reipublicæ, quando imperatores omni Magiſtratuum poteſtate ad ſe tractâ univerſam Rempublicam per conſtitutos adminiſtratores, retento veteri nomine Magiſtratuum, regebant. Qui obtentâ tyrannide in C. & Nov. potius adminiſtratores & judices, quàm Magiſtratus poſtea vocati ſunt. Cùm ergò non conveniat Magiſtratui imò contra naturam ejuſdem ſit, eſſe quippiam per quod ſumma poteſtas regit: (quomodo enim id quod

primum movet & ſingula diſponit ad agendum poterit dici inſtrumentum, per quod aliquid abſolvitur, niſi cauſam efficientem cum inſtrumentali confundere velis?) apparet non ſatis accuratè per diviſionem hic ſingulas partes inveſtigatas eſſe.

Satis ergò eſt retinere partes Reipublicæ prout Ariſtoteles eaſdem enarravit. Sunt autem tres: Magiſtratus, ſenatus ſeu pars poteſtatem habens deliberandi & judicia. Summa poteſtas in poteſtate conſultandi quærenda eſt: quæ enim pars de concernentibus ſalutem totius civitatis deliberare poteſt, ea ſummam poteſtatem habet. Salus autem Reipublicæ per conſultationem quæritur, vel quatenus civitas ad alias refertur civitates vicinas, quò pertinent conſultationes de pace, de bello, de fœderibus, vel quatenus in ſe conſideratur & vel univerſaliter quid imperandum eſt, quò pertinent conſultationes de ferendis legibus; vel de ſingulis, quò ſalva ſit civitas & improbis purgetur hominibus, quod merum imperium leges Romanorum vocant.

Summa autem] Videtur Autoris definitio non ſatis eſſe accurata, quòd negativa ſit, & propterea parum ad inveſtigandas affectiones definiti faciat, item quod cum definito non convertatur, quia & Eremitæ actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi poſſint; nec tamen

is ſummam poteſtatem rectè dicitur habere. Quid verò ſit ſumma poteſtas exinde addiſci poteſt; quòd aliæ formæ ſunt vitioſæ, aliæ rectæ; in illis herile ineſt imperium quod in ſuum commodum exercent qui præſunt, eſtque in iiſdem ſumma poteſtas, quâ quis omnibus ſibi ſubditis velut ſervis utitur ad ſuum commodum. In bonis verò formis ſumma poteſtas eſt penes eam civitatis partem, quæ ſe habet ad reliquas ut mens in homine ad cæteras hominis partes; adeoque in deliberando & conſultando poſita eſt uti notat Ariſtoteles. *lib. 4. Polit. c. 14.*

§ 7. Subjectum aliud eſt] Subjectum ſummæ poteſtatis duplex facit, Commune ipſam civitatem, & Proprium certam perſonam aut plures: quemadmodum viſus ſubjectum commune eſt corpus, Proprium, Oculus. neſcio an ſatis benè; quia in politicis quæri ſolet, an tota civitas particeps eſſe debeat τῦ κυρίυ, an verò certæ alicui parti civitatis hoc ſit committendum: quâ de re latiſſimè diſputat Ariſtoteles *lib. 3. polit.* Concluditque ratione ingenii civium ſummam poteſtatem modò uni, modò quibuſdam, modò omnibus, modò legibus & his junctis iterum uni, quibuſdam vel omnibus adminiſtrantibus deferendam eſſe. Quomodo ergò ſubjectum ſummæ poteſtatis Commune dicetur tota civitas? deinde nec ſubjectum commune viſus eſt totum corpus,

ſed

ſed homo adeoque nec τῦ κυρύυ ſubjectum quis populum ſed potius πολίτευμα vocabit. Et uti propter animam totus homo videre dicitur, ita & in Republica conſiſtit ſumma poteſtas, non in civitate.

§ 8. Attingit hîc graviſſimam controverſiam; an ſumma poteſtas ſit penes populum adeò ut Regum malefacta punire eoſdemque coërcere poſſit. Exercitii ergò gratiâ circa ea quæ ab Autore proponuntur, pro more noſtro, dubia movebimus: deinde poſt §. 17. quid ex Ariſtotele probabiliter circa hanc quæſtionem dici poſſit, ſubjiciemus. Argumenta quibus probat Autor non ſemper ſummam poteſtatem penes populum eſſe, ita ſe habent. Neceſſe eſt eum, qui in ſervitute alterius eſt, de ejus, ſub quo eſt, poteſtate non judicare. Neque enim ſervi de domino ullum eſt judicium.

Contingit populum pacto ſe in ſervitutem regi dare. E. Contingit populum de poteſtate regis judicare non poſſe. Minorem probat ex §. *Servi autem* 4 *Inſtit. de jure perſ.* Sed parum conferre ad propoſitum poteſt iſte §: quia loquitur de pœnâ; neque enim ex pactione privatâ ſervus ſuis fieri poteſt *l. conventio* 37. *deliberat. cauſſ.* ſed potius ob doloſam pactionem ex pœnâ. An ex jure naturæ fieri poſſit diſputandum, & quæſtio ita informanda, an homo liber pacto non modò ſe, ſed & po-

ſteros

ſteros ſuos dominio alicujus & toti familiæ ejuſdem ſubjicere poſſit, ita ut pactum noceat poſteris, nec contra illud venire poſſint. Videtur verò hoc juri naturæ diſconveniens; quod tali argumento probamus:

Quicquid ex ſocietate civili cœtum ſervorum facit, adeóque ſocietatem civilem deſtruit, naturæ conveniens eſſe nequit.

Atqui pactum, ut populus certæ familiæ ſerviat, deſtruit ſocietatem civilem, quæ cœtus liberorum hominum eſt, facitque ex eâ conflugem ſervorum. E.

Non dicam de materiâ peccandi, quæ ſuppeditatur imperanti, de extremâ miſeriâ, quæ tale pactum conſequitur.

Notum quidem eſt, quod de regno barbarico tradit Ariſtoteles *lib.* 3. *c.* 14. *Politic.* illud regium quodammodo eſſe, propterea, quòd fiat in volentes: at quod ex pacto fit, ab initio eſt volentium,poſtea neceſſitatis,ſtatimque voluntate ſubditorum ceſſante, merè tyrannicum evadit, licet ex pacto ſit. Et quis niſi improbus adiget ſubditos ad ſtandum tali pacto, quod videt cum naturâ ſubditorum pugnare, & proinde ad detrimentum eorundem vergere?

Fruſtrà quoque] Malè Autor tradit,quamlibet formam ſua fovere incommoda, & proinde nihil intereſſe cui ſubjiciaris: quaſi verò nihil inter bonas vitioſaſque formas interſit.

terſit. Sed cum univerſam politicam ſcientiam hîc impugnet, non eſt quod ejus ſententiam examinemus. *Add. Ariſt. lib.* 4. *politic.* ubi inveſtigat formam optimam earum, quæ communiter dari poſſunt.

Neque ex præſtantia] Fateor non judicandum ex præſtantia formæ, quânam uti conveniat, neque tamen inde ſequitur, quod autor tradit, ex voluntate, pacto & conventione jus metiendum eſſe; ſed potius quod Ariſtoteles poſt longam hac de re habitam diſputationem *Cap.* 17.*lib.* 3.*Polit.* eleganter concludit, ex ingenio cætus, in quem forma introducenda eſt: neceſſe enim eſt, eum, qui ferre familiam imperantem non poteſt, licet bello adactus pactus fuerit, infelicem eſſe, quamdiu contra naturam ipſius unicus ex certâ familiâ præeſt. Quâ de causâ vix locus pactis hîc dari poſſe videtur. Et ponamus, ſervili olim majores ingenio fuiſſe, & ob barbariem ſe familiæ prudenti ſubjeciſſe, ut herili imperio ea præeſſet: an propterea contra naturam in poſteros prudentiores & liberali ingenio præditos imperium illud extendendum eſt? minimè verò. Quemadmodum enim ſervitus naturaliter injuſta eſt, ſi natus ex ancillâ liberali ingenio cogatur ſervire: ita quoque injuſtè tyrannidi ſubjiciuntur ob pactum majorum poſteri non ſerviles. Barbaricum enim regnum juſtum quodammodo eſt ex

vo-

voluntate ſubditorum, & quia ſecundum leges fit, quâ tamen mutatâ, ſi in nolentes exerceatur, merè tyrannicum fit.

Puta quia in periculum] Argumentum hoc debile eſſe videtur: ſi enim ob metum vi incuſſum quis contrahit, prætor naturalem æquitatem ſecutus eum qui contraxit in integrum reſtituit, licet ipſe contrahens vi metum non incuſſerit, ſed alius quiſpiam. Libera enim pacta eſſe debent, quibus nos obligamus. Ad id enim adhibentur, ut liberi homines neceſſitati faciendi ſubjiciantur. Quid verò intereſt vi metu incuſſo adigatur quis ad paciſcendum de ſervitute ſubeundâ, an ſtatim ſervituti ſubjiciatur. Objicias hîc mixtam quandam actionem eſſe, & ſecundum Ariſtotelem eam magis voluntariam, cùm in arbitrio eligentis ſit, mori, aut ſervitutem perpetuam ſubire. Sed reſpondeo, licet vitam conſervare alicujus magnum ſit beneficium, quod inſigniter obligat alterum ad rependendum beneficium; quia tamen talis lex quæ perpetuæ ſervituti aliquem poſteroſque ejus ſubjicit, contra jus naturæ eſt: (inhoneſtum enim eſt, pro beneficio, tale quid requirere, pro quo ſubeundo nullus honeſtus homo beneficium acciperet) omninò tale pactum illicitum eſſe videtur.

Adde quod ſunt] Fateamur quorundam populorum ingenia ita comparata eſſe, ut ſub herili imperio vivere, quàm civili regi malint

lint : quâ de cauſâ Ariſtoteles barbaricum regnum quodammodo juſtum eſſe probat : non tamen inde ſequitur, quando ingenium illud deponunt, ſub eodem imperio teneri permanere.

Eſt & interdum] Licet accidat ſalutem interdum alicujus civitatis conſervari non poſſe, niſi uni omnia committantur; non ob id tamen imperium herile ſubeundum, ſed fortaſſe ita informandus eſt ſtatus, ut qui præeſt rationem geſti officii populo reddere teneatur, idque juri naturæ conveniens eſſe oſtendit Ariſtoles *lib.* 3. *Polit. c.* 11.

Iam verò] Videtur Autor herile imperium cum civili confundere, dum à dominio privato ad civile imperium argumentatur, quod tamen in nolentes non eſt.

Quia omnia convelli] Fortaſſe ergò falſa eſt opinio ſtatuens populi judicio ſubditum eſſe jus regendi; propterea, quòd quidam populi ſerviles ſint. At & omni populo poteſtatem adimere contra naturam ſocietatum civilium eſſe videtur. Nam niſi ſervilis planè ſit cœtus, de magnis rebus plebs quàm optimè judicare poſſe videtur. Licet enim non ut ſinguli, conjunctim tamen ſumpti ſuum conferentes rectè judicant; & potiſſimum de rationibus à Magiſtratu ferendis. Quare judicium de officio Magiſtratuum iis committendum videtur. *vid. Ariſtoteles lib.* 3. *Polit. c.* 11.

At

At verò eſſe reges] Datos olim fuiſſe & nunc quoque dari poſſe reges qui herili præſint imperio, non ex legibus, nec aſtringi rationibus reddendis; id quidem nihil videtur ad quæſtionem propoſitam facere: quæritur enim an juſtè, & annon populus, quando velit ſuo jure uti, reges adigere poſſit, ut ſecundum leges imperent.

Hinc factum] Argumentatur Autor ita: ſi reges dicendi non ſunt, qui populo ſubſunt; jure naturæ non erit populi malè imperantes reges coërcere. Atqui hiſtoria teſtatur eos ne quidem regis nomen mereri. Ergo. ℞. Aliud eſt ſubeſſe, aliud ſecundum leges imperare, & ita ut ratio exigit. Nam nulli ſubſunt, quamdiu ſecundum leges & civiliter imperant, abutentes poteſtate regnumque mutantes in tyrannidem, coërcitioni populi ſubjiciuntur: quâ de cauſâ prius ab officio deponi ſolent, quàm in eos executio fiat.

Talia regna regat] Neſcio an Autor mentem Ariſtotelis ſatis aſſecutus ſit: Dicit enim *cap.* 14. *lib.* 3. *Polit. & ſeq.* 15. Species omnes regnorum enarrari non poſſe, quæ gradibus tantùm differant: duo ergò regna quàm maximè diſtantia ſumenda, alterum in infimo gradu, quale Laconicum fuit, alterum in ſummo; & affectiones utriuſque conſiderandas eſſe: exinde enim licere de interjectis gradibus regnorum, prout magis vel minus iis duobus

bus accedunt judicium facere. Facit ergò Ariſtoteles unam ſpeciem regni Laconicum, quod ne nomen quidem regni mereri Autor ex Polybio, Plutarcho, Cornelio Nepote paulò antè tradidit. At regni ſpecies quædam eſt, licet ex aliis formis oligarchiâ & democratiâ quædam admixta habeat. *Vide Ariſtot. l.* 4. *Polit. c.* 9. *& l.* 3. *c.* 14. *&* 15.

Quin & in populis] De temporariis regnis quæ profert probant potius contra Autorem rempublicam infelicem eſſe, quæ nutu unius ita regitur, ut nullius judicio ipſius actus ſubſint. Cùm enim aliquando tempore neceſſitatis civitati tale imperium utile deprehenderent Romani: reſtringere tamen tempore ejuſmodi poteſtatem voluerat, ne, cùm meminerint imperantes, ſe paulò pòſt iterum privatos futuros, poteſtate illâ abuterentur. Concludere ergò contra Autorem ita poſſumus: Quæ ſententia beſtiæ committit regnum, cùm naturâ rationali pugnat, invertitque ſocietatem eorum qui ratione utuntur. Sententia committens regi omnem poteſtatem ita, ut à populo coërceri nequeat, facit beſtiam præeſſe, id eſt, hominem qui ſecundum appetitum contra rationem omnia facere poteſt. Ergo pugnat cum natura rationali, invertitq; ſocietatem eorum qui utuntur ratione. Id vero injuſtum eſt per definitionem ab Autore ſuprà propoſitam.

Quæ pro contrariâ] Argumentum probare co-

cònantium populum eſſe ſupra regem tale eſt: Qui conſtituunt regem & ipſi tribuunt poteſtatem, ſuperiores ſunt rege: at populus hoc facit. Ergo. Reſpondet rectè Autor ad majorem: Quia electio regis à populo facta eſt confeſſio ſuperioritatis, teſtatur enim populus ſe ratione virtutis ab eo ſuperari: non modo falſitatis, ſed etiam ineptiarum plena eſt conſequentia, quâ infertur, eum, qui fatetur aliquem ſuperiorem, eo ipſo quòd fatetur, agnoſcit & vult ut ſuperior ſit, altero ſuperiorem eſſe. Adde quæ Ariſtoteles de παμβασιλεία tradit *cap.* 15. *lib.* 3. *Polit.*

Alterum argumentum] Falſam eſt philoſophos ſtatuere, omne regimen eſſe ſubditorum gratiâ. Ariſtoteles enim diſtinguit inter imperium herile & civile, hoc ſubditorum gratiâ & juſtum dicit; illud imperantis & non juſtum, niſi ex accidente ob voluntatem ſubditorum, qui barbari ſunt.

Sed non ideò conſequens] Verum eſt non ſequi, eos quorum gratiâ rex eſt, ſuperiores exiſtere rege. Nam pater liberorum gratiâ eſt, nec tamen eodem ſuperiores illi exiſtunt. Interim tamen, ſi pater degeneret in dominum, & quos liberè educare debebat, ſerviliter tractet, magiſtratus in civitate jure naturæ animadvertere in talem hominem tenetur. Inter quos autem non locum habent judicia, cùm ſuperior non ſit, qui in utroſque Juriſdictionem,

nem habeat, neceſſe eſt, ut una pars ipſamet reſiſtat. Sic verbi gratia ſi inferior Magiſtratus fiat tyrannus, non dubium eſt, quin coram ſuperiori, qui inferiorem conſtituit, accuſari poſſit. An ergò is qui coram ſuperiori conveniri nequit quævis impunè committet? Sanè ſi leges de malefactis illorum pronuntiant, non dubium eſt, quin populus ipſe exequi poſſit. Nam inter quos dantur judicia, ſi habent ſuperiorem Magiſtratum, inter eos dantur bella, ſi nullum ſuperiorem agnoſcant, ut ipſi exequantur.

At in imperiis] Eodem modo probabo nec inter diverſos populos juſtè bella movenda, ſed committenda omnia Deo, ſi alter alteri injuriam faciat.

§ 9. *Qui ſi hoc dicerent*] In quorum poteſtate eſt, non parere, in eorum poteſtate eſſe ut coërceant malè imperantem, non abſurdum eſt. Ac proinde non multum videtur obtinere Autor quando tantum poteſtatem non parendi concedit ſubditis in apertè injuſtis, poteſtatem coërcendi denegat.

Quod ſi etiam populo] Difficultati, quam proponit Autor, nimirum quòd confuſio oritura ſit ex obſcurâ diſceptatione, occurri poteſt, ſi dicamus ab aliis gentibus judicia aut conſilia peti poſſe. Imò occurretur his malis omnibus per univerſalem omnium imperiorum ſocietatem, quæ de certaminibus inter ſubditos

ditos & imperantes quoque judicare poterit.

§ 10. Proponit cautelas quaſdam Autor, ne in judicio decipiamur: & prima eſt de vocis ſimilitudine aut aliâ quâdam convenientiâ. Nam ſolent callidè interdum mutari nomina. ita imperatores Romani malebant Principes quàm Dictatores audire licet ipſorum poteſtas abſoluta eſſet.

§ 11. Altera cautela Autoris eſt circa modum habendi territorium & populum in eo, quem diverſum exiſtimat, prout modus habendi apud privatos diverſus eſt: uti enim privati vel habent rem pleno proprietatis jure vel uſufructuario vel temporario, ita putat etiam in imperiis comparatum eſſe. ſed licet imperium herile cum dominio privatorum comparari poſſit: fortaſſe tamen civili imperio iſta applicari nequeunt; quia nullum civile imperium cum herili convenientiam habet: civiliter enim imperare eſt ſubditorum gratiâ eſſe, herili imperio uti, eſt uti inſtrumento quopiam vitæ ad proprium commodum; ſeu ſubditos non ipſorum ſed ſui gratiâ habere.

Reges denique] Reges electos aut ex lege populi jus ſuccedendi habentes jure uſufructuario obtinere imperium cenſet. At neſcio an hæc tranſlatio à rebus privatorum ad imperia locum habere poſſit. Vide quæ infra de dominio & uſufructu dicturi ſumus. Fortaſ-

ſe eò reſpexit Autor, quòd quemadmodum dominus patitur facultatem ſuam, quam circa res proprias habet, quieſcere & alii rationi directrici ſubjici: ita populus eligens ſimiliter videtur facultatem ſuam ſuſpendere, quod ad imperium attinet, & regi committere. Quòd ſi hoc verum eſt, ſumma poteſtas proprietario jure penes populum eſt in electitiis & quæ ex lege ad ſucceſſores transferuntur, imperiis. Quid ergò de Electoribus imperii Germani erit dicendum? eritne penes eos ſumma poteſtas quieſcens imperatore electo? Prætores Romani in liberâ Republica & conſules pleno proprietatis jure, ſi ita loquendum, habebant ſuam poteſtatem (dicebantur enim ſuo jure & non alieno beneficio habere) & tamen electio erat penes populum. Ponamus non niſi ex nobilibus paucis eligi poſſe, qui regum loco præſint, electionemque penes populum eſſe: an tunc dicendum, uſufructuario jure ſummos magiſtratus imperium habere? quid enim impedit, ſi in imperiis hæc obtinent, quò minus & ii pleno jure proprietatis habere imperium dici poſſint? Præterea, ſi jus proprietatis in imperiis locum habet, longè diverſum quid erit jus uſufructuarium. Nam quemadmodum non is dicitur uſumfructum in ſervo habere, quem fortaſſe ſervus ſibi dominum elegit, ſed qui ſervo in quo proprietatem alius quiſpiam

piam

piam habet, inſtar domini uti poteſt: Eodem modo non is uſufructuario jure imperium habebit, qui à ſubjectis electus eſt, ſed potius qui imperium habet, quod alii cuidam jure proprietatis competit.

§. 12. Proponit objectionem Autor contra ſuam ſententiam talem:

Quorum commercium non datur, ea pleno jure proprietatis competere alicui non poſſunt.

Liberorum hominum qui in civitate continentur non datur commercium.

Ergo in liberos homines in civitate viventes plenum jus proprietatis nemini competit.

Reſpondet Autor diſtinguendo inter libertatem perſonalem & civilem ſingulorum & univerſorum, civeſque liberos homines eſſe ratione libertatis perſonalis non civilis: cumque cives ratione regii imperii ſervi ſint, etiam quatenus tales in commercio eſſe. Verùm licet concedam, abſurdam non eſſe diſtinctionem illam; poteſt enim reſpectu unius quis eſſe liber, alterius reſpectu ſervus: (Quid enim impedit, quò minus qui ſub tyrannico imperio vivit & publicè ſervire cogitur ſuos ſervos in re ſuâ familiari habeat. Sic ſenatores Romani qui imperatoribus ſerviebant quoad publica, privatim ſuos habebant ſervos, quibus ut liberi homi-

nes contradiſtinguebantur) Non tamen exiſtimandum eſt, omne imperium tale eſſe, ſed illud tantùm quod herile Ariſtoteles vocat: atque adeò cives in herili tantùm & tyrannico imperio ſervorum loco habendi ſunt & in commercio.

Sicut ergo] Falſum eſt quod Autor dicit, uti libertas perſonalis dominium ita civilem excludere regnum; tyrannidem debuiſſet dicere; quia poteſt quis eſſe ſub unius aut paucorum imperio, ita ut & civiliter liber ſit. Uti enim liberi qui ſub parentum poteſtate ſunt, ſervis non rectè annumerantur: ita nec qui ſub regis poteſtate exiſtunt pro ſervis habendi; quamvis deflectere reges interdum poſſint abutendo poteſtate & mutando imperium civile in herile, non aliter ac olim apud Romanos patres excedebant limites imperii paterni arrogantes ſibi jus vendendi & occidendi liberos. Quòd vero ſolent hiſtorici libertatem regnis contradiſtinguere, id faciunt propterea quia plerique de regnis barbaricis aut de tyrannicis, quæ etiam regna vocari ſolent, loquuntur. In Romanâ republica res eſt liquida: in eâ enim propter tyrannidem Tarquinii bonum regis nomen in odioſum & vitioſum tranſiit, uti apud Græcos tyrannidis.

Propriè tamen] Dicit Autor, quando alienatur populus non ipſos homines alienari, ſed

jus

jus perpetuum eos regendi: ut ita poſſem dicere, nec res familiares, qua in patrimonio noſtro ſunt, alienari; ſed facultatem jure dominii utendi. Et quid intereſt alienari aliquam facultatem heriliter imperandi in aliquem & alienari eum, qui in noſtrâ poteſtate dominicâ eſt? Quod profertur de libertis aſſignandis, fortaſſe nullius momenti eſt, quia ſpeciem ſervitutis habent libertorum operæ, nec à liberis emancipatis præſtantur parentibus. Quin nec alienari poteſt jus in liberto pro præſtandis operis, ſed uni ex liberis, ad quos ea jura aliàs pertinerent, aſſignari *add. tit. §. de aſſign. libert.* Hoc autem concedo, poſſe hodiè apud nos alienari juriſdictionem in populum, populo non vendito, quia territorio Juriſdictio adhæret.

§ 13. *At in regnis*] Regna electitia magis civilia ſunt, quàm reliqua: unde nec alienatio locum habet, quia magis Reges ibi ſubditorum gratiâ ſunt, quàm ſubditi regis. Deinde ſi daretur poteſtas alienandi regi electo, deſineret eſſe electitium auferretque electoribus jus eligendi.

Summa poteſtas interdum penes regem eſſe videtur quæ reverà penes eum ſolum non eſt, ſed quia nolunt ſubditi abſolutam poteſtatem regi concedere, utpote qui affectibus duci occaſione poteſtatis ſuæ ad varia crimina

mina poteſt, fierique tyrannus, legi committere malunt ſummam poteſtatem, eique addere regem adminiſtrum.

Quòd ſi ergò rex quædam promittere cogitur ſubditis, quæ imperium concernunt, eo ipſo ſe legibus ſubjicit, penes quas ſumma poteſtas eſt quippe actus regius dirigens, & ita per definitionem Ariſtotelis *ſupra §. 7. h. cap.* propoſitam non amplius regis poteſtas erit ſumma, quia actus ejus legibus à quibus reguntur ſubſunt. Uti enim magiſtratus populo, ita leges magiſtratui præſunt, inquit Cic. lib. de LL. Et licet populus regi poteſtatem in ſe concedens rege ſuperior dici non poſſit, quoad ipſius imperium, quod ſecundum leges exequi tenetur: ratione tamen legum, ſi quid contra eas Rex commiſerit jus ſuperioritatis habere videtur, quatenus ex LL. in eum animadvertere poteſt. Lex enim omnis eſt fruſtranea, niſi vis coactiva accedat, id eſt, metus futuri mali, ſi quid contra eam factum ſit. Pertinet huc Ariſtotelis exemplum de Ægyptiis, qui in cadavera regum ſævierunt, poſtquam cum morte regnum depoſuerunt. Quamvis & fieri poſſit, ut populus ultionem Deo committat, & vindictæ propriæ renunciet. Unde juramento legibus aſtringi ſolent reges, quo Dei vindictæ, ſi non præſtiterint legibus præcepta, ſe ſubjiciunt.

§. 17. Non dubium eſt quin ſumma poteſtas

ſtas dividatur. Hinc enim oritur illa formarum mixtura. Fit autem mixtura ex his quatuor. 1. Legibus. 2. uno excellentiſſimo. 3. quibuſdam divitibus & nobilibus. 4. plebejis & pauperibus. Nam interdum alia ſolis legibus, alia nobilioribus committuntur, alia populus ipſe ſibi expedienda reſervat. Hactenus ergo Autor probavit ſummam poteſtatem non penes populum eſſe, ſed interdum penes ſolos reges, interdum partim penes reges, partim penes populum. Et ita ad propoſitam §. 8. quæſtionem reſpondit, oſtendendo quomodo reſiſtendi poteſtas competat. Ex Ariſtotele videtur iſta quæſtio hoc modo reſolvi poſſe. Imperium omne aut eſt herile aut civile; illud ſi penes unum eſt, tyrannicum vocatur, & injuſtum ſimpliciter eſt, juſtum non niſi ex accidente, ob voluntatem ſubditorum barbarorum qui alio regi non deſiderant imperio, ſed eo contenti ſunt. Civile vel eſt abſolutum, quando qui imperat ſine legibus præeſt, ita ut voluntas ipſius lex exiſtat; vel legibus reſtrictum. Quod ſi ſumma poteſtas eſt, uti Auctor eam definit, cujus actus alterius juri non ſubſunt, dico nullum horum ſummam poteſtatem habere, quocunque tandem imperio præſit. Nam qui herile imperium exercet in liberios homines contra voluntatem ipſorum, vel violenter invadendo tyrannidem vel per fraudem & callidè,

lidè, illius actus ut injuſti arbitrio parentium irriti fieri poſſunt, adeò ut jugum excutere, & ut beatam vitam colant, removere tyrannum poſſint. Si voluntate parentium herile imperium quis habet, quod in regnis barbaricis accidit, poteſt qui præeſt ſubjectis velut ſervis imperare, nec actus ipſius quos exercet à quoquam irriti fieri poſſunt: ſed meminiſſe eum oportet, homines eſſe, cum quibus agit *Ariſtot. lib.* 8. *Ethic. c.* 13. *in fin.* & quemadmodum patrifamilias non licet nimis duriter & crudeliter tractare ſervos, ita nec ei qui herili imperio gubernat populum. Quando ergò ſævit præter modum, non ut homines ſed ut beſtias, aut durius tractando non dubium eſt, quin & hi ipſius actus à ſubditis irriti fieri poſſint. In civili imperio abſoluto illi actus irriti non ſunt, qui civile imperium non excedunt, uti & in eo quod ſecundum leges eſt, illi tantum qui legibus convenientes ſunt nec iisdem repugnant. Cæterum ſi inſtet imperans agendo, nec admonitionibus aut ſupplicationibus à propoſito dimoveri poſſit, non dubium eſt, quin vi eidem occurri poſſit. In ſummâ

Inter quos intercedit aliquod jus, inter eos uni non poteſt quidvis ita licere, ut irritum fieri nequeat, quod geſtum eſt.

Atqui inter omnes imperantes & parentes

tes aliquid Juris intercedit.

Ergo Imperantibus non poteſt quidvis licere.

Et quia inæqualiter Jus intercedit, inter alios magis, inter alios minus: hinc imperantibus plus minuſve licet. Quo pacto autem à ſubditis actus injuſti irriti fieri poſſint, adjiciendum eſt, nimirum in civili etiam imperio multa regi ignoſcere convenit: inſtar enim patris venerandus & colendus eſt. *Vid. Ariſt. lib. 8. & 9. Ethic.* Si verò futurum ſit, ut tota civitas reddatur infelix, precibus & ſupplicationibus avocandus eſt. Idem enim quoque ab his, qui, quod liberi parentibus, regi debent, Jus amicitiæ exigit. Quod ſi nullis precibus à malo propoſito dimoveri poteſt, non dubium eſt, quin vis addi poſſit, adhibito ſemper moderamine, ut ipſi parcatur, quantum fieri poteſt, propter beneficia antea exhibita. Idque ipſum & in herili imperio, quod in volentes exercetur locum habet.

§ 21. Quærit Autor, an inæquale fœdus tollat in eo qui fœdere inferior eſt ſummam poteſtatem.

Dico fœdus inæquale fieri poſſe, vel ratione amicitiæ, ut ex jure amicitiæ alter alteri plus honoris exhibere teneatur. Id enim aliquando accidit, verbi gratia ſi ab alterâ parte plus beneficii exhibitum eſt, nec fortaſſe tamen quicquam poteſtatis, tunc inferior

amittit. Quòd ſi verò inæqualitas fœderis ab unâ parte imperium conſtituat, tunc populi ſeſe ad invicem habent, quemadmodum familiæ, & Regis regni parentis permanet poteſtas in ſuum populum ut patrisfamilias in ſuâ familiâ, licet pareat in ſocietate civili. Sed reſtringi hanc ſummam poteſtatem, non dubium eſt, & adimi quid eidem. Multi enim actus irriti fieri poſſunt à ſuperiore. Aut ſecundum noſtram definitionem ſummæ poteſtatis, dicendum; ſummam poteſtatem reſtrictam eſſe & dependentem, quando in conſultando de pace, bello, fœderibus, legibus &c. ſuperioris reſpectus haberi debet.

Cap. IV.

§. 2. DEmonſtratum à nobis ſuprà eſt, non niſi tunc ad vim accedendum, quando diſceptationibus coram magiſtratu locus non eſt. Quod fit, ſi qui injuriâ nos afficit coram magiſtratu conveniri nequit, aut ſi auxilio magiſtratus damnum reſarciri nullo modo poteſt. verbi gratia, quando vita noſtra periclitatur, quæ in libero homine inæſtimabilis eſt, ut ad æqualitatem reſpectu occiſi reduci damnum nequeat (dico reſpectu occiſi,) quia reſpectu cognatorum fortaſſe poteſt, ſi quanti æſtimanda amiſſio ſit judex cognoſcit, & tantum delinquentem jubet

ſolvere.

ſolvere. Non itaque veritati congruum eſt, quod fingit Autor civitati in nos competere imperium majus eo, quod nos in noſmetipſos habemus, adeoque propter prohibitionem ab eo profluentem, qui potius jus habet, jus noſtrum ceſſare. Nam jus vi ſe defendendi habet potius in defectu illius locum, ſi ſcilicet magiſtratus auxilium ceſſet & aliò modo jus impetrari nequeat.

Poteſt igitur] Probare vult Autor bellum in ſuperiores quà tales Jure naturæ licitum non eſſe hoc argumento:

Quod ex civitate diſſociatam multitudinem facit, id Juri naturæ conveniens non eſt:
Atqui ſi promiſcuè ſubditis reſiſtendi poteſtas concedatur, ex civitate fit multitudo diſſociata & Cyclopum cœtus, quia ceſſabit omne Imperium.
Ergo ſubditis poteſtas ſuperioribus reſiſtendi non concedenda eſt.

Contrà verò & argumentari pro ſubditis liceret hoc argumento.

Quod reddit infeliciſſimam civitatem, id Juri naturæ conveniens non eſt.
Non poſſe regi à ſubditis ullo modo reſiſti, reddit civitatem infeliciſſimam, in extremam enim ſervitutem detrudi cives per hoc poſſunt.
E. Non poſſe reſiſtere regi, contra Jus naturæ eſt.

Ex his fortaſſe quis colligeret, mediam potius amplectendam ſententiam, ne dicamus, nullo modo reſiſti poſſe, nec tamen temerè cuivis aut adverſus quemcunque regem poteſtatem reſiſtendi concedamus. Quod & tantùm modo Autoris argumentum probare videtur, quia de eâ reſiſtendi poteſtate, quæ temerè & promiſcuè cuilibet conceditur aliquid probat.

Hinc ubique] Argumentum inde petitum quod tot pœnæ conſtituantur in eos, qui majeſtati ſeſe opponant, hoc tantum importat, civitatem rectè denegare privatis temerariam reſiſtendi licentiam.

Quodſi quando nimia] Certum quidem eſt, leges continere, quod ut plurimum eſt; nec tamen verum eſt, legem locum habere in iis in quibus ratio legis ceſſat: tunc enim & ceſſat ipſa lex, ſubſtituiturque in locum ejus aliud quippiam. Hoc enim fundamentum eſt æquitatis. Etenim manet norma, licet quandoque ob cauſas emergentes corrigatur, ne propter contingentiam, quæ materiæ legum inhæret alicui injuria fiat.

Locum & hic habere] Quæ ex Autoribus profert teſtimonia nil aliud probant, quàm uni privato, aut quibuſdam non competere, ut magiſtratui reſiſtant, licet faciat quid contra ipſorum commodum, modò ſalutem publicam ſpectet.

§ 6. Fa-

§ 6. Facilius reſiſtere poſſe magiſtratus ſummæ poteſtati, quàm plebeos, ex comparatione perſonarum apparet: plerumque enim propter exceſſum dignitatis accidit, nihil retribuendum eſſe. In magiſtratibus autem hoc facilius accidit; quia tanta diſtantia non eſt inter regem & magiſtratus ac inter regem & privatos; quare & facilius ſeſe regi opponere poſſunt. Unde fortaſſe quidam moti ſunt, ut ſtatuerent magiſtratibus ſimpliciter conceſſum eſſe reſiſtere, privatis non item.

§ 7. Movet quæſtionem, an non ullâ ratione, nimirum ob neceſſitatem inevitabilem exceptio detur de non reſiſtendo. Putat Autor fundamentum inde petendum, quòd lex de non reſiſtendo pendeat à voluntate primum coëuntum in ſocietatem civilem. Jam verò non cenſeri eoſdem velle, moriendum potius eſſe quàm non reſiſtendum. Ergo nec legem de non reſiſtendo ad ultimam neceſſitatem obligare: ſed poſſe privatos etiam ſingulos, ſi ſine turbatione pacis publicæ fieri poſſit, & communis boni reſpectus non deſeratur, vim vi repellere. Verùm ex præſumtâ voluntate paciſcentium eorum qui in ſocietatem civilem coïerunt, petendum non eſſe videtur fundamentum, ſed ex naturâ potius conſtituente homines partes ſocietatis civilis. Neque enim coire in ſocietatem civilem meri placiti eſt; quia naſcitur homo

pars quædam ſocietatis civilis, ut ſuprà pluribus fuit declaratum. Si enim ex præſumptâ coëuntium in civitatem voluntate juſtum æſtimandum eſſet, fortaſſe dicere poſſes, in voluptate vivere juſtum eſſe: Multitudinem enim ſi quæras; quia in divitiis, voluptatibus & ſimilibus hujus vitæ finem ponit, etiam ſocietatem civilem horum gratiâ iniiſſe dicendum erit. Legislatores tamen omnem avaritiam & luxuriam prohibent, & contra præſumtam coëuntium voluntatem leges ferunt.

SED NOTANDUM] Non verum eſt experimentum imbecillitatis familiarum ſegregum adverſus violentiam, eſſe illam cauſam, quâ ducti homines in ſocietatem civilem coierint. Licet enim occaſio quædam fuerit, non tamen ipſum illud eſt, in quo fundamentum ſocietatis civilis ponendum eſt. Sed quia natura produxit homines partes ſocietatis civilis, tribuendo iis diſtinctas inclinationes & aptitudines ad varia officia, quibus homo homini ſuccurrere poteſt: indigentia quidem occaſionem dedit, ut convenirent: at quales eſſe debeant; & quid quilibet alteri præſtare teneatur, non ex voluntate coëuntium, ſed fine & officio ſingularum partium ſocietatis civilis æſtimandum eſt.

BARCLAIUS] Adverſus regem non facilè inſurgendum, ex naturâ amicitiæ apparet. Quod enim liberi parentibus debent, ad idem

idem & ſubditi regi qui civiliter præeſt, præſtandum obligantur. Et quia ſumma ſunt horum beneficia, injuriæ parvi faciendæ: facilè enim per beneficia reliqua compenſantur. Et quia judex in commutationibus invitis, ut quantum detrahendum ſit inveniat, ita procedit: in quantum perſona afficiens injuriâ ſuperior eſteâ, quæ injuria afficitur, in tantum id quod injuriam facienti detrahitur vindictæ causâ, ut perpeſſo ſatisfaciat, debet ſuperari ab eo quod illatum eſt. Hinc ſæpè fit ut nihil rurſus inferendum ſit pro injuriâ propter nimium exceſſum quò perſona lædens læſam ſuperat. Ita quia ſervus nullam habet comparationem reſpectu illius qui præeſt; nunquam ad ultionem injuriæ cujusquam admitti poterit; niſi quando intolerabilibus cruciatibus, quas ut homo ſuſtinere nequit, afficitur: Tunc enim ut dominus impoſterum deſiſtat à talibus vim adhibere poteſt, ſi alio modo nequit effugere. Detrahi autem domino quid propter infinitatem exceſſus injuſtum eſt. Itaque ſi civili imperio imperans præſit comparatio quædam datur inter eundem & ſubditos, & proinde judicio ſubjici poteſt, ut ſecundum proportionem detrahi ſibi quid patiatur, aut deficiente ſuperiore ipſe vim adhibere, quamvis exiguum illud futurum ſit propter exceſſum quo ſuperat ſubditos: ſi verò herile imperium habeat, extremam crudelitatem effugiſſe

giſſe ſufficiet. Hæc exercitii gratiâ ſepoſitâ ſcripturâ diſputari poſſint. Quid Chriſtianos deceat Theologis perpendendum relinquo.

§ 8. Regem ex conventione aut quòd initio tam limitatam poteſtatem nactus ſit, æquè ut privatum morte puniri contra jus naturæ eſt, quod eum inſtar patris vel domini vereri jubet. Et licet ita convenerit pactionem injuſtam dicerem, quia contra jus naturæ eſt.

§ 9. Poſt abdicatum imperium omnia licere populo in regem, quæ aliàs in privatum conceduntur, injuſtum exiſtimo. Quemadmodum enim liberi emancipati aut ſervi manumiſſi reverentiam debent iis in quorum poteſtate fuerunt, & hi præterea jure Romano operas. Ita quoque in regibus ſe habet: memores enim eſſe convenit beneficiorum antea exhibitorum.

§ 10. Non eſt quod in quæſtione hac, an Rex alienans regnum amittat ipſum, recurramus ad Jus uſufructuarium. Sed potius perpendendum, an Rex habeat liberum Jus eligendi & præterea an herili imperio præſit: tunc enim ſine dubio alienare regnum poteſt. Si verò aut penes populum totum aut penes quoſdam aut legem electio ſit, quod fit, quando ex lege verbi gratia natu maximo regnum defertur, alienatio eſt nulla. Nam quando lex defert

defert ſucceſſoribus imperium non hereditarium merè eſt regnum ſed electitium : A quâ ſententiâ nec alienus eſt Autor *ſupr.c.*3.*§*.10.

§ 15. *Non poſtquam*] Uti in privatorum rebus dominium, ita quoque longâ poſſeſſione imperium acquiri poſſe putat Autor. Id verò dubitatione non caret, & pluribus infra hac de re diſſeratur. Videtur enim in imperiis, uſucapio aut præſcriptio locum non habere, quippè injuſte imperat, qui contra naturam & ingenium imperat populi ſive longo tempore ſive exiguo. An enim ſi liber populus tyrannidi ſubjiciatur, in libertatem ſe vindicare nequit, ſi eum longo tempore poſſederit imperans.

Aut pacto] Nec pacta ſemper tyrannum juſtum imperii poſſeſſorem faciunt : pacta quippe metu inita ſolent enervari à prætore per reſtitutionem in integrum. De quæſtione quam hîc ſubjicit ſuprà dictum fuit *poſt.* *§*. 17. *c*. 3.

Cap. V.

§ 1. QUod hic repetit Autor naturaliter quemque ſui Juris eſſe vindicem, & ideò manus nobis datas, id tunc locum habere ex ſuperioribus traditis repetimus, ſi judicia ceſſent & per rationem impetrari nequeat, quod injuſtè nobis deeſt.

§ 3. Uti

§ 3. Uti liberi non rectè inſtrumenta patris dicuntur, niſi apud barbaros, qui liberos & ſervos eodem loco habent, ita nec omnes ſubditi rectè vocantur inſtrumenta imperantis, niſi apud barbaros, qui aliud quàm herile imperium ignorant. Unde licet tempore neceſſitatis liberi homines pro patriâ pugnent; non tamen inſtrumenta ſunt imperantis; ſed cum imperante quaſi unum corpus conſtituunt, cujus quædam pars eſt imperans & veluti oculus.

LIBER II.

Cap. I.

§ 1. De cauſis juſti belli tractat Autor, & eas meritò à principiis belli ſeu occaſione ſeparat: fit enim interdum ut bellum ab eo ſumat principium, quod vera cauſa belli non eſt. Uti in civitatibus ſæpè ſeditiones aliunde originem habent, quàm à cauſsâ: quanquam coincidere quandoque poſſint. Sic fieri poteſt, ut metus potentiæ vicini ſit vera belli cauſſa, principium tamen à contentione quâdam aut injuriæ alterius prætextu fiat.

§ 2. Diximus ſuprà bellum naturaliter juſtum

ſtum non eſſe,ſed ex hypotheſi, quando Judicia, quibus lites dirimi jure naturæ debent, deficiunt. Hæc cauſſa eſt, quare tot ſint belli quot judiciorum fontes, quod ut fateatur Autor ipsâ veritate cogitur. Quæ porrò de variis actionum generibus tractat, ex ſuprà enarratis ſpeciebus Juſtitiæ & officiis earundem fortaſſe clarius explicari poſſunt. Undè licebit uſum ſolidæ doctrinæ de Juſtitiâ ex Ariſtotele petita ſimul perſpicere. Non verò in Autore deeſt quod reprehendi poſſit. Primum enim quæritur ad quam partem diviſionis ab Autore præpoſitæ Judicia communi dividundo, familiæ erciſcundæ, finium regundorum referenda ſint: ob præſtationes enim perſonales videntur quodammodo ex injuriâ factâ dari. An dicendum, tertiam ſpeciem debuiſſe ab Autore addi illarum ſcil. actionum quæ ob utrumque fiunt, injuriam ſcil. non factam & factam? Deinde quod dicit ob injuriam non factam dari actionem, quâ ſcil. petitur cautio de non offendendo, item damni infecti &c. Scrupulo etiam non caret; qui enim in periculo conſtitutus metuere damnum ab altero tenetur, quod poſtea corrigi nequit, jam injuriam patitur. Bono enim privari externo injuſtum eſt: ſecuritas autem eſt bonum ejusmodi. Unde quando cautionem petimus, injuſtum ſeu inæquale volumus corrigi. Magis excuſari poſſet Autor ſi dixiſſet ob factam aut

certè

certè vel probabiliter futuram. Non etiam prætereundum, quod interdictum *Ne vis fiat* actionibus quæ ob injuriam non factam dantur annumerat.

Factam aut ut reparetur] Injuriam valdè æquivocè ſumit pro quovis injuſto ſeu univerſali ſeu particulari, dum ait: ob factam injuriam agi dupliciter, vel ut reparetur, vel ut nudè puniatur. Ea enim pœna, quæ reparandi damni gratiâ eſt, ad juſtitiam particularem pertenet, quæ verò nil aliud eſt, quàm dolor inflictus hominibus quò emendentur & à vitioſis actionibus deſiſtant ad Juſtitiam univerſalem ſpectat. Et ad has ſpecies referri poſſunt tres illæ, de quibus Gellius tractat *lib.* 6. *cap.* 14. Nam quæ emendandi gratiâ eſt, quam ille κόλασιν appellat, item quæ propter exemplum παράδειγμα Græcis dictà, ad juſtitiam univerſalem pertinent: his enim vitia è Republicâ tolluntur, ut vel ipſi qui peccarunt vel eorum exemplo territi alii corrgiantur. Tertia verò τιμωρία vocata ad juſtitiam particularem referenda eſt, quâ inæquale corrigitur & malum pro malo rependitur, ut læſo ſatisfiat. De quâ tractat Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 8. Haud exiguum fundamentum præbet textus Ariſtotelis *cap.* 10. *lib.* 1. *Rhetoric.* ubi differentiam tradit caſtigationis & ultionis.

Quod

Quod reparandum venit] Neſcio an hæc diviſio procedat ; quia id quod noſtrum fuit non rectè contra diſtinguitur ei quod nobis debetur : ſi enim quod noſtrum fuit, nobis non debeatur, nec illud peti poterit. Quin contrà id quod noſtrum eſt aliquando nobis debetur, & actione perſonali petitur ; quod ex pignoratitiâ actione apparet. Porrò quodammodo durum eſt, quod rei vindicationem dari dicit ob injuriam factam : cum tamen bonæ fidei poſſeſſor dominum læſiſſe dici nequeat. Ut verò fontes actionum pateant, præmittendum, ne ab Autore planè recedamus, nos voce actionum generaliter hic uti, quatenus & accuſationes ſub ſe comprehendunt. Deinde & repetendum ex ſuperioribus eſt, omne juſtum vel univerſale eſſe vel particulare. Ad juſtum univerſale pertinet omne virtuoſum quod ſocietatem civilem conſervat. Unde injuſtum univerſale conſiſtit in quovis vitioſo quod ſocietatem civilem infelicem reddit. Juſtum particulare in bonis externis verſatur in quibus ſumi poteſt plus, minus & æquale : Eſtque illud porrò vel diſtributivum, vel, retributivum, vel correctivum. Diſtributivum eſt, quod æqualitatem obſervat, ſi commune quippiam in partes alicujus ſocietatis dividendum eſt, fitque per regulam ſocietatis, uti Arithmetici loquuntur, ſeu,

ſeu, quemadmodum Ariſtoteles exprimit, ſecundum proportionem Geometricam in hunc modum:

Uti totum ex perſonis	- ad totum dividendum	- ita ſingulæ partes ſocietatis	- ad portionem ſingulis aſſignandam.

Et quomodo hujuſmodi proportio applicetur diſtributionibus, ex contractu ſocietatis addiſci poteſt. *Ariſt. l.* 8. *Ethic. c. ult.* Ut meritò reprehendendi ſint, qui putant, ſecundum Arithmeticam proportionem diſtributionem in eo contractu faciendam eſſe.

Juſtum retributivum, quantum retribuendum ſit inquirit in commutationibus cum ſpontaneis, tum invitis: ſitque & hoc ſecundum proportionem Geometricam & quidem in ſpontaneis commutationibus fundamentum præbet vetus illa permutatio, quæ antequam numerus inventus eſſet, in uſu erat. Schema proportionis tale eſt.

Uti Ædificator ratione operis quod confecit	- ad ſutorem conſideratur ratione uſus quem opus ipſius habet	- ita numerus operũ ſutoris	- ad numerum operum ædificatoris.

In invitis commutationibus hoc modo fit proportio:

Uti perſona lædens dignitate majori ratione ejusdem	- ad perſonam læſam dignitate minorẽ,	- ita injuria illata	- ad id quod lædenti retribuendum: ſcil. in tantum ab illata injuria ſuperetur.

Item

Item.

Uti perſona læ-dens dignitate minor ratione defectus di-gnitatis	- ad per-ſonam læſam	- ita in-juria illata	- ad id quod lædenti retribuendum, ut in tantum illud ſu-peret illatam in-juriam.

Si inventum eſt quod retribuendum venit, per additionem & ſubtractionem ſeu Arithmeticam proportionem fit correctio, ei qui plus habet detrahendo, addendo minus habenti. Idque juſtum correctivum Ariſtoteli dicitur, quod fit ſine reſpectu perſonarum: Poſtquam enim, quantum detrahendum alicui ſit, apparet, ſine reſpectu perſonæ detractio fieri debet.

Præterea juſtum aliud eſt naturale aliud legitimum, & harum ſpecierum natura ita addiſci poteſt. Quod juſtum eſt, alicui eſt juſtum, & propterea in aliqua propoſitione quærendum, verbi gratia, teneri ad ſolvendum vel ad cautionem, juſtum eſt, ſed in certo quodam ſubjecto non quovis: ab hærede, ſcilicet legatario, item ab uſufructuario caveri eſt juſtum. Et quidem in univerſali propoſitione Juſtum quærendum, tradit quoque Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethic. c.* 10. An enim Titius teneatur præſtare cautionem cognoſcimus, ſi novimus heredi omni incumbere, ut caveat legatario: Hoc enim juſtum dicimus.

Omnis autem propoſitio univerſalis ex ſe & ſuâ naturâ vel eſt neceſſaria vel contingens

&

& hæc rurſus vel æqualis in utramque partem, quando ſcilicet prædicatum ſubjecto æquè ineſſe ac non ineſſe accidit; vel non æqualis ad utramque partem, affirmationis ſcilicet & negationis, quod fit, quando naturâ prædicatum magis propenſum eſt ad ineſſe ſubjecto, vel non ineſſe; illud contingens ut plurimum dicitur Ariſtoteli *lib.* 1. *prior. cap.* 12. denotatque naturalem propenſionem prædicati ad magis ineſſe vel non ineſſe: huic opponitur aliud: Quod contingens rarò vocatur, quando prædicatum quidem accidit ſubjecto ineſſe vel non ineſſe, ſed contra propenſionem naturalem, juſtum ergo omne aut in propoſitione neceſſariâ aut contingenti, & hac vel æqualiter vel inæqualiter, & inæqualiter quidem velut plurimum vel rarò conſiſtet. In neceſſariâ ſemper conſiſtere, non admittit materia circa quam juſtum verſatur, quæ ratione variorum accidentium mutabilis eſt. Hinc Ariſtoteles ait *lib.* 5. *Ethic. c.* 12. Juſtum, quod planè nullam mutabilitatem recipit, fortaſſe inter ſolos Deos reperiri, apud nos verò eſſe mutabile, non tamen ſuſque deque, ſed ita, ut quod aliter fit, ſit ratum.

Ex his apparet juſtum naturale conſiſtere ad minimum in propoſitione, cujus prædicatum naturâ & per ſe propendet ad ineſſe ſubjecto vel non ineſſe, quam contingentem ut plurimum cum Ariſtotele vocamus. Et inde porrò

peni-

penitius naturam Juſti legitimi inſpicere licebit : Conſiſtet enim illud in propoſitionibus contingentibus, quarum prædicata æquè ſubjectis ineſſe ac non ineſſe apta nata ſunt. Ex his autem ſi vel affirmationem vel negationem elegerit Legis-lator, habet tunc ea, quæ placuit, eandem vim, quam aliàs habet propoſitis propendens naturaliter ad unam partem. Eſtque juſtum legitimum propoſitio æqualiter quidem in utramque partem affirmationis ſcil. & negationis per naturam propendens, ſed ad aliquam ex inſtituto & placito determinata. vel, quod eodem recidit, Juſtum legitimum eſt, quod non eſſet juſtum niſi placito Legislatoris, eſſet introductum.

Porrò Juſtum particulare in bonis externis verſatur proſperæ & adverſæ fortunæ ſubjacentibus, quæ quidem per ſe bona ſunt, ſed alicui interdum non bona. Divitias enim habere bonum eſt, ſed vi ablatas, malum ei, qui vi abſtulit. Suntque Nobilitas, Familia, Civitas, Amicitia, Honor, Exiſtimatio, Libertas, Dominium, Servitus, Poſſeſſio, Pignus, Hereditas, Sanitas, Pulchritudo, Proles, Conjux, Vita, Pudicitia, Securitas & utilitas harum rerum omnium, Jus in liberos homines ex obligatione, quò refero imperium & obligationes ex contractibus, vel quaſi, item ex delictis, Jus in perſonas; ob beneficium exhibitum, ut Jus patronatus. Ex his quædam ad alium transferri poſ-

ri poſſunt, & proinde ablata recuperari, quædam non; quædam quoad actum ſecundum amittuntur, actu primo remanente: Ita dominium permanet, actu ſecundo amiſſo. Quemadmodum dormiens, licet non contempletur, geometra vocatur.

Cognito, quotuplex ſit Juſtum, & Injuſtum, item in quibus id quod particulare dicitur verſatur; addendum porrò, quàm varia ſint principia Injuſti: Ita enim varietatem querelarum & actionum ex his fluentium, fonteſque earundem perſpiciemus. Principia porrò injuſti ita dividendo inveſtigabimus. Quicquid inter homines agitur, ab iisdem fit, vel ſcientibus vel ignorantibus. Ignorantia vel eſt univerſalium, quæ non excuſat lædentem; quia finita ſunt univerſalia, quæ addiſci poſſunt: quamvis & hîc ſexûs, ætatis, vitiiſve habeatur ratio; vel eſt circumſtantiarum & ſecundum hanc ignorantiam quiquid faciunt, aut præter rationem faciunt, ut eorum cognitionem parare non poſſint, hinc caſus ſeu infortunia naſcuntur; aut verò quæ ignorantur per rationem explorari potuiſſent ſi opera data fuiſſet, Idque dupliciter vel reſpectu ipſius agentis, vel ſimpliciter, & tunc culpa vocatur, quæ propterea abſtracta eſt vel concreta. *Bachov. ad Tr. de depoſ.* ubi explicat *l. quod Nerva. ff. depoſ.* Fit enim, ut, quæ alii homines prudentes perſpicere poſſunt, ab

agen-

agente intelligi nequeant, ex defectu vel voluntario, vel præter voluntatem contingenti. Si voluntarium ſit vitium ſeu defectus, ex quo ignorantia oritur, venia non dari poteſt commiſſis. Quod aliter ſe habet, quando ſine voluntate defectus ſeu vitium eſt contractum. Hinc ebrietas veniam non meretur, quando vitii illius ignorantiam parientis cauſa eſt ebrius. Quando verò à naturâ eſt quod ignorantiam procreat, vel id fit extra ordinem, ſi quis demens ſit, aut furioſus, vel ordine naturæ propter ſexum, ut in fœminis quibus multa propterea privilegia conceduntur; vel propter ætatem, ut in pupillis & minoribus. Si conſideramus, an ſimpliciter & non reſpectu agentis ea, quæ ignorantur, cognoſci potuerint; triplex genus culpæ promanat. Nam aut omnibus hominibus communiter obvia ſunt, quæ ignorantur, & indè latà culpa oritur; aut prudentibus communiter, & inde originem habet culpa levis; aut alicui prudentiſſimo, & hæc culpa leviſſima dicitur. Quæ nobis ſcientibus fiunt, aut ſunt invita, quando ſcilicet principium actionis noſtræ planè eſt extra nos & in aliis; aut ſpontanea, ſi principium in nobis eſt; aut verò mixta exiſtunt, & tum vel affectus ab alio incutitur, qui nos inconſideratè agere facit, ſi nimirum ira commoti ab altero in eum quid perpetramus. Quæ ex conſilio aguntur pro actionibus huma-

humanis habentur, & ab iis in totum profe-ctis, à quibus geſtæ ſunt, qualitatemque agen-tis, ut juſtus vel injuſtus, bonus aut vitioſus inde dici poſſit, indicant: ubi enim mens offi-cium facere poteſt, ibi actio humana eſt, quan-do verò mens non fungi poteſt munere, nec pro humano quod fit, habetur; ſed æquè eſt, ac ſi à lapide vel beſtia ſit profectum. Inter hæc duo reliqua omnia ſunt interjecta: *adde elegan-tiſſimum textum lib. 2. Eudem. cap. 6. & ſeqq.*

Porrò quemadmodum faciendo ſeu com-mittendo, ita quoque omittendo alter lædi-tur: ſi enim omittimus facere, quod alterius gratiâ faciendum nobis incumbit, damnum al-teri inferimus. In utroque culpæ ſecundum gradus ignorantiæ ante enumeratos locum ha-bet. In omittendo verò vel verſamur circa impoſſibilia, ad quæ aſtringi non poſſumus. *l. impoſſibilium ff. de R. I.* Huic oppoſitum eſt quod omnibus hominibus eſt poſſibile; quibus duobus difficultas ſecundum gradus interjecta eſt. Et inde fortaſſe gradus culpæ omiſſionis Ictis oriuntur, quæ tamen ab illa culpa quæ ex ignorantiâ proficiſcitur, diverſa exiſtit.

Omnis ergò actio generaliter ſumto voca-bulo, oritur ex injuſto, vel univerſali, vel par-ticulari. Injuſtum verò univerſale fons eſt actionis, quâ pœnam perſequimur ad tollen-da vitia, quo vel delinquentes emendentur, vel alii horum exemplo moniti, à vitioſis actio-

actionibus abſtineant. Et talis actio accuſatio, Judicia verò circa eam publica jure Romano vocari ſolent, quaſi populi propria, qui ea ſibi reſervaverat. In his Judiciis nihil fit in gratiam accuſantis, ſed tantummodo dolor agenti infligitur, quo vel ipſe vel alii ipſius exemplo deterriti corrigantur. Verbi gratia, quando maritus adulterum defert, quò pœna capitali afficiatur, nihil fit in gratiam mariti quo damno illato ſatisfiat: injuſtùm enim fortaſſe eſſet damnum tale marito illatum per adhibitam pœnam capitis emendare; ſed quò deterreantur homines ab ejuſmodi facinoribus tàm ſeverè animadvertitur. Porrò accuſationes dantur ſi dolus præceſſerit, quia vitioſus nemo eſt, niſi ex conſilio agat, quæ latius perſequitur Ariſtoteles in Ethicis.

Injuſtum particulare triplex ſtatuimus cum Ariſtotele *lib.* 5. *Ethic.* Diſtributivum, Retributivum & Correctivum. Ex diſtributivo injuſto naſcitur actio communi dividundo. item familiæ erciſcundæ ad dividendum id quod commune eſt in ſingulos, vel ſecundum jus naturæ ex regulâ ſocietatis, vel ſecundum leges id eſt pacta vel teſtamentum. Et quia, quando hæc diviſio fit, aliquid ex retributivo juſto admiſcetur, hinc propter perſonales præſtationes, uti I C T I loquuntur, actiones iſtæ mixtæ dicuntur. Aliàs enim in rem tantum ſunt, quia obligatio ex qua actiones

perſonales dantur retributivi juſti & injuſti propria eſt.

Retributivum injuſtum latiſſimè ſe extendit, unde tot & tam variæ actiones fluunt. Nos digito tantum illarum fundamenta monſtrabimus, accuratam eorum enucleationem peculiari tractatui reſervantes; Omne autem injuſtum retributivum locum habet in amiſſione alicujus boni externi: quæ vel inter ſcientes vel ignorantes, vel mixtim, ut à parte accipientis ſcientia, à parte læſi ignorantia ſit, accidere poteſt. Ex quibus ut ſpecies actionum porrò perſequamur, repetendum, quædam bona externa ita comparata eſſe, ut retento actu primo amittamus ſecundum, verbi gratia ſi quis equum meum bonâ fide emat, fiatque poſſeſſor ejuſdem, proprietas id eſt actus primus dominii equi nihilominus penes me permanet. Exemplo tali, quid velim explicatur. Qui ſcientiam Geometricam habet dormiens actu primo eſt geometra; at vigilans occupatus in circuli contemplatione, actu ſecundo: Ita cui reverà dominium competit, non tamen ad ſuum uſum dirigere rem poteſt, actum primum habet; qui vero jus dominii ſibi arrogat, aut opinatur ſibi competere dirigitque ad ſuum commodum, poſſeſſionem habet ſeu actum ſecundum. Quod ſi ergò circa bona externa tale quippiam contingat, ut ſcil. actus ſecundus ab actu primo ſeparetur; tunc

is

is cujus eſt actus primus adverſus alterum qui opinionem domini habet de perſonâ ejus diſputare non poteſt. Nam contingit, quem firmam opinionem habere, ſe dominum eſſe ac proinde ob ignorantiam, quæ in ipſo eſt, de perſona ejus querelam inſtitui non poſſe. Ergò ſufficit ſi ſe proprietarium eſſe contendat,& hoc modo recuperationem actus ſecundi obtineat. Hinc actiones oriuntur in rem, quarum aliæ præjudicia vocantur, aliæ verò petitiones ſeu vindicationes. Sic quando in ſervitute vivens ſe liberum hominem aſſerit, præjudicialis actio datur eidem. *lib.* 7. *§. ult. de lib. tantum cauſſ. lib.* 24. *eod.* aut ſi quis actu ſecundô liber eſt, in rei veritate ſervus, quo fit ut dominii jure privetur dominus, actio competit domino in ſervitutem vindicandi eum qui pro libero homine ſe gerit. Si ſimilia contingant circa familiam, oriuntur ſectum de agnoſcendis & alendis liberis, interdictum de liberis exhibendis &c. Ex Jure civitatis actiones in Jure noſtro privato prææditæ non ſunt, quia hujus ſtatus conſideratio Juris publici eſt. Interim tamen dubium non eſt, quin per ignorantiam amiſsâ civitate id eſt ſuſpenſo actu ſecundo realis ad vindicandam civitatem competat. Pertinet porrò hûc actio, quæ patrono competit pro Jure patronatus obtinendo, ſi actu ſecundo deſtituitur, *l. circa* 14. *de probat.* Ex domi-

dominio eaſdem ob cauſſas oritur Rei vindicatio. Quod ſi enim retento actu primo actus ſecundus ſit penes alium opinantem ſe dominum eſſe propter ignorantiam ipſius, nudè de proprietate cum ipſo diſputatur, demonſtraturque poſſidenti nobis dominium competere, quo facto reſtituere rem poſſidens tenetur, & niſi faciat jam ſcientiâ accedente delinquit. Ex ſervitute actio confeſſoria & negatoria, ex pignore actio Servianâ & quaſi Serviana, ex Hereditate hereditatis petitio oriuntur.

Hactenus de actionibus in rem diximus, ſub quibus continentur tum præjudiciales actiones, tum rei petitiones, tum verò & eæ quæ ex Jure aliquo in re deſcendunt. Actiones in perſonam naſcuntur ex obligatione. Obligatio autem eſt neceſſitas quâ liber homo cogitur aliquid facere aut pati alterius gratiâ. Cùm autem liber homo ſit quiddam non alterius ſed ſui gratiâ: apparet eundem quà talem non teneri ad alteri quid faciendum aut ejus gratiâ patiendum, niſi aut voluntate ſuà hoc fiat, dum illud quod alteri præſtat non temerè ſed in ſui gratiam præſtat, ut aliquid pro eo recipiat; aut ex neceſſitate, ſi alter illius gratiâ quid paſſus ſit qui ne ſervilis conditionis videatur & temerè illius gratiâ quid pati cogatur, exigit, ut is patiatur rurſus quippiam. Omnis ergò

liber

liber homo per ſe obligatur vel ex contractu, quando cum altero convenit, ut inter ſe mutuò alter alteri quid præſtet; vel ex delicto ne læſus ſervilis videatur conditionis & ne querelæ oriantur retributio fieri debet ſecundum proportionem, quam Ariſtoteles *Ethic. lib.* 5. *cap.* 8. demonſtravit. Quandoque fit, ut ex accidenti obligetur liber homo, quando ſcilicet quod ſine ſuo in commodo alterius gratiâ facere poteſt, recuſat perficere, quò alter damno afficiatur. Hûc pertinet condictio indebiti, ſi quis ignorans ſe non debere ſolvit, niſi enim alter reſtituat ſolutum, quod ſine ſuo damno facere poteſt, patitur is qui ſolvit damnum: item condictio ſine cauſsâ, cujus ſpecies condictio causâ data causâ non ſecutâ, quando,quod alteri dedi ſine causâ penes alterum eſt; injuſtum enim eſt, niſi recipiam, alter verò reſtituendi damnum non patitur. Item quod quis ob turpem cauſſam accipit. Hûc referri poſſunt negotiorum geſtorum & tutelæ actio tum directa tum contraria, item actio de damno defecto, quia enim imminet damnum quod corrigendum eſt, ſecurus debet reddi qui ob metum mali læditur. In ſumma hûc pertinet quod ICTI quaſi contractus nominant: idem enim eſt ac ſi ex accidenti contractum aut obligationem vocent. Fingunt ſcil. interveniſſe quendam conſenſum, ſine quo liberum hominem regulariter non

 obli-

obligari ponunt; item actio ad exhibendum. cum enim damno afficiatur, cui non exhibetur, ſinè incommodo autem exhibentis? id fieri poſſit, neceſſitate ad exhibendum aſtringitur. Et ita id, de quo dubitavit Bachovius, explicari poteſt, quare nimirum actio ad exhibendum perſonalis ſit. *l.* 3. *§. eſt autem ff. ad exhibendum.* Hæc autem actio perſonalis propterea eſt, quà de officio, quod perſona nobis exhibere tenetur, diſceptatio inſtituitur. Negotium quæ mutuo conſenſu alter alterius ſuique gratiâ ſuſcipit, aut certam naturam habent, unde certum aliquod jus naturale, quo diriguntur, colligi poſſit, & contractus nominati vocantur; qui ſinguli ſingulas actiones nomen proprium ab iiſdem habentes producunt. Veluti contractus ſocietatis actionem pro ſocio; depoſiti, actionem depoſiti directam deponenti competentem & contrarium depoſitario &c. aut verò certam naturam non habent, ſed variis infinitiſque modis mutabilia ſunt, vocanturque nudæ conventiones; nec vi Juris civilis actionem producunt, niſi ab unâ parte implementum acceſſerit; tunc enim ortâ inæqualitate actionem pariunt, quæ præſcriptis verbis vocatur; aut niſi ſolennitas quædam acceſſerit, quâ utraque pars fidem de præſtando firmavit, veluti apud Romanos ſolennitas verborum contractum ſtipulationis conſtituens. Porrò

quia

quia injuſtitia particularis vitium eſt, & injuſtitiæ univerſalis pars. Hinc reſpublica ſi quid in contractu factum ſit vitium arguens, pœnâ illud afficit, quo vitium corrigatur & tollatur. Unde nata actio de dolo malo, quâ contractus reſcinditur, quod particularis juſtitiæ proprium eſt, & infamia infertur quæ comitatur deceptorem velut pœna. Si quid ab ignorantibus factum ſit, aut à ſcientibus omiſſum, id ratione graduum culpæ, de quibus ſuprà, pro diverſis contractibus, obligationibus & actionibus dijudicatur: omiſſio quandoque ob impoſſibilitatem reſtitutionem in integrum parit. verbi gratia ſi quis cauſsâ reipublicæ abſit, ut interea res ſuas obire nequeat, in iiſque damnum patiatur *t. t. ff. ex quib. cauſſ. major. in integr. reſtit.* Si ignorantia ſingularium, cujus quis cauſſa non eſt dederit cauſam contractui, gignitur actio ad reſcindendum: contractus verò ſocietatis jure civili Romano etiam ipſo jure fit nullus. *l.* 16. *ff.* 1. *de minor.* Ignorantia ratione ætatis in minoribus 25 annis reſtitutionem in integrum parit, in impuberibus obligationem facit nullam. Vi metu factum à ſcientibus, quod velut mixtum inter ſpontaneum & invitum interjectum eſt, quoque reſtitutionem in integrum parit. Hæc de actionibus ex conventionalibus obligationibus oriundis.

Obligatio ex læſione quæ cum dolo eſt

conjuncta, facit lædentem teneri ſecundum proportionem in juſto Retributivo. Vitium interdum peculiari pœnâ afficitur: unde ex eodem maleficio & civilis actio & accuſatio naſcitur; quandoque ſolâ infamiâ notatur, delinquens, & illud delictum privatum vocatur; quia non ipſe populus de vitio judicium inſtituit, ſed, ut quoad juſtum particulare de eo pronunciarent, magiſtratus delictum illud commiſit; addendo pro vitii pœnâ infamiam. Quæ ergò pro publicis delictis haberi & peculiari pœnâ affici debeant in Legiſlatoris eſt arbitrio. In Republicâ Romanâ delicta privata quatuor fuêre: Furtum, Rapina, Damnum, Injuria, quæ apud nos plerumque publica ſunt. Si in læſionibus dolus abeſt, ceſſat primò infamia, quia vitioſus animus colligi non poteſt, niſi exproæreſi. Deinde ſi læſio conjuncta eſt cum ignorantiâ, cui quis cauſſam ipſe non præbuit, vel oritur actio in rem, de quâ ſuprà; quando ſcilicet actus primus remanet; vel ceſſat omnis actio, ut ſi cui per ignorantiam vita adimatur. Quando verò quis ignorantiæ illi cauſſam dedit ratione graduum culpæ variæ præſtandæ veniunt. Exemplum eſt in actione L. Aquiliæ & ſimilibus, quæ mediæ ſunt inter actionem ex dolo & ex ignorantiâ natam. Ita omiſſio curæ circa noſtræ familiæ partes ne noceant aliis peperit Romanis ICTIS actio-

nem

nem de his qui dejecerunt vel effuderunt: item de Receptis; tenentur enim ſtabularii de furto ſuorum familiarium, interdum nullâ ſpectatâ culpâ, ſi quod noſtrum eſt, læſerit alterum, adverſus nos actio competit, quæ, quia ſumma ignorantia penes nos eſt, ad reales quàm maximè accedit: unde etiam in jure civili mixtis annumeratur. Hûc pertinent noxales actiones; item, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Agitur enim ut aut ſervus aut quadrupes lædens nobis dedatur, aut à domino damnum reſtituatur: Servile enim eſt ab illis quæ alterius ſunt temerè damnum peti.

Diximus ſuprà lædi etiam aliquem & damnum eidem inferri, ſi quid fiat, ex quo conſequitur damnum: verbi gratia, ſi quis ſervum noſtrum aut liberos noſtros corrumpat, quò pertinet actio de ſervo corrupto. Item de fugitivis, item ſi menſor falſum modum dixerit.

Ex Juſtitiâ correctivâ actio judicati naſcitur, quando ſecundum ſententiam ex Juſtitiâ retributivâ dictam petimus detractionem reo nobiſque additionem fieri, & hæc actio perſonalis eſt adverſus eum competens, cum quo litigatum eſt. Loco hujus inter gentes bella ſuſcipi ſolent, & vi adhibitâ executio fieri ſab ipsâ parte læsâ ob defectum Magiſtratus, cui aliàs hoc committendum eſſet. Hæc in genere notata ſufficiant de principiis & fontibus actionum: ſeorſim enim & plenius

de omnibus & ſingulis dicere noſtri inſtituti ratio non admiſit: id enim ſi fieri deberet, alio & tempore & ſcripto opus foret: multa tamen hic conciſè propoſita infrà prout ſingulæ materiæ id expoſcent fuſius declarabuntur.

Prima igitur cauſa.] Repetit hîc Autor cauſſam juſtam belli primam eſſe injuriam nondum factam. Sed notavimus ſupra actionem non dari nec bellum, niſi injuſtum præcedat. Injuſtum autem & tunc ſubſiſtit, ſi quid factum ſit ex quo certò ſubſecuturum eſt, quod non poteſt corrigi.

Ratio Autoris quare quivis ſi immineat vitæ periculum, illud etiam cum detrimento vitæ adverſarii propulſare poſſit, non videtur propria ſed communis. Dicit enim naturam quemque ſibi ipſi commendare. Inde enim varia etiam injuſta licita eſſe, probari poſſet. Nam ſi natura quemque ſibi commendat & quod ex hoc principio fit, juſtè fit: poterit quis altero plus ſumere, alteri minus relinquere, id autem injuſtum eſt. Ego diſtinguendum puto & dicendum defenſionem interdum juſtam eſſe; interdum quidem non juſtam, veniâ tamen dignam. Ponas enim aliquem, qui ex ignorantiâ me in præſens periculum mortis conjiciat; qualem caſum proponit §. 4. *b.* certè injuſtum eſt, eum occidi: interim tamen veniam meremur talem occi-

occidentes, licet fortaſsè interfuiſſet Reipublicæ eum diutius vixiſſe. Nam declaravimus § præced. ea quæ à ſcientibus fiunt, non omnia pœnam incurrere; ſed è numero eorum quædam eſſe, quæ veniam merentur, ſi nimirum quis ex affectu quid faciat, cui humana ratio reſiſtere nequit: at verò quovis modo vitam conſervare affectus humanus eſt, cui reſiſtere ratio non facilè poteſt. Ergo quod ex eo affectu fit, veniam meretur. Cæterum omninò juſta eſt defenſio, ſi ex conſilio quis nos aggrediatur, quia liber homo, quicquid eſt, ſui, non alterius eſt, nihil ergò in alterius gratiam temerè agere aut pati tenetur; aut ſi quid ab altero patiatur, reſarciendum eſt & corrigendum. Pati autem ſibi vitam adimi, plus quàm ſervile eſt, nec ſi factum eſt, corrigi poteſt. Quod pluſquam ſervile eſt & corrigi nequit, illud quovis modo libero homini, deficiente magiſtratus auxilio, propulſare licet.

§ 4. Circa innocentes; qui interpoſiti defenſionem aut fugam impediunt ſine quâ mors vitari nequit, quid ſtatuendum ex §. *præced.* conſtat, nimirum affectui humano aliquid condonandum eſt. Homo enim vix inveniri poterit, qui affectum vivendi ſubitò ratione ſuâ comprimere poſſit. Quamvis & venia quandoque ceſſet. pone plebejum tali in caſu regem optimum occidiſſe. Unde iterum

rum colligimus non omninò procedere, quod Autor *præced.* §. Dixit. Jus hoc occidendi naſci ex eo, quòd natura quemque ſibi commendet. Ad jus interficiendi non ſufficere metum quemcunque tradit Autor, probatque variis ſententiis Philoſophorum & aliorum. Sed ex iis quæ ſuprà de bello diſſeruimus, id commodius demonſtratur; quandiu enim corrigi injuria à magiſtratu poteſt, à bello eſt abſtinendum; ſi enim periculum non ſit inſtans, dabitur tempus effugiendi & adeundi judicem. Ceſſabit ergò tunc jus interficiendi.

§ 6. Mutilatio membri etiam in numero eorum eſt, quæ amiſſa reparari nequeunt, nec ablata æſtimari, ut aliquid reſtituatur æquale ſecundum proportionem *l. ex hac.* 3. *ſi quadrup. pauper. fec. l.* 1. §. *ſed cùm.* 5. & *l. cùm lib. ult. ff. De his qui effud. vel dejec.* Quare ex conſilio hoc facere conanti, modis quibuslibet reſiſtere, & ſi aliter nos defendere nequeamus, vitam eidem auferre poſſumus. Quicquid enim ablatum per Magiſtratum reſtitui nequit, pro eo, ne auferatur, quovis modo pugnare licet.

§ 7. Sic pudicitia ſemel ablata reparari nequit, nec eſt quicquam quod eam æſtimet, unde ſi ablata ſit, ſecundum proportionem nihil lædenti detrahi & læſo reddi poteſt, quò æqualitas reſtituatur. Cumque pœna capitis aliàs in delinquentes conſtitui in bonis Rebuſpubl. ſoleat: licebit etiam malo iſti per

adem-

Digitized by Google

ademptionem vitæ alterius occurrere.

§ 8. Rectius & laudabilius aliquando ſubiri mortem quàm inferri ut effugiamus, ſuprà §. 3. à nobis monitum eſt. verbi gratia, ſi videam aut mihi moriendum aut impedientem bonum virum, qui me ſummis beneficiis affecit, ut vitam etiam eidem debeam, patrem vel ſimilem quempiam occidendum; laudabilius facio, ſi ipſe potius peream; difficulter veniam conſequor, ſi occidam & ad minimum aliquid vituperii incurro. At ſi virum bonum & reipubl. proficuum ſcelc ſtus & perditus homo aggrediatur; melius ſibi conſulet, ſi ſaluti reipublicæ ſe conſervet, & nequam hominem occidat. Ni enim faciat, ſemetipſum Reipublicæ ſubtrahit eandemque quodammodo lædit.

§ 9. Hîc Autor delabitur in ſententiam, quam § 3. propoſuimus, non ſemper juſtum eſſe periculum imminentis mortis propulſare, oſtenditque exemplo eleganti.

Jam ſuprà oſtenſum eſt à nobis, ex retributivo Juſto fieri: ut Lædens ad læſum, ita injuria illata ad id quod referendum eſt. Si ergò princeps vilem hominem occiderit, ſecundum proportionem illam vitam adimi eidem haud poſſe conſtat, imò penè nihil interdum detrahendum erit; ſi exceſſus dignitatis nimius ſit. Quòd ſi ergò poſt factum vita delinquenti adimi nequit; quomodo juſtè prohibedi gratiâ id fieri poterit? certè niſi appetitui videndi aliquid

aliquid largiamur, venia non habebit locum.

Nec ab hac ſententia] Quæ Vasquius tradit meritò rejicit Autor: licet fortaſſe ratio ejus non ſufficiens videatur; quia quamvis ponamus, imperia delinquendo amitti: adhuc tamen poſt imperium ſupereſt, quædam reverentia imperanti exhibenda unde non eſt, quòd cum Vasquio contendamus an delinquendo in privatum amittatur imperium vel non. Cætera ut à Vasquio ineptè prolata, ita facilè refutari poſſunt.

§ 10. Falſa ſunt quæ Autor tradit quemlibet, injuriâ me parantem afficere, facultatem mihi moralem dare adverſus ſe in infinitum, qualiter malum illud aliter à me arcere nequeo, & id quidem per juſtitiam expletricem. Etenim error hic oritur ex non intellectis ſatis iis, quæ Ariſtoteles de retributivo juſto tradit. Omnis namque retributio ſecundum proportionem fieri debet. Injuſtum ergò eſt, in infinitum propulſandi facultate uti in iis, quibus ſecundum proportionem quædam reſpondent & corrigi poſſunt.

Nam de ſolo jure naturæ] Admittit Autor Jure naturæ mortem infligi poſſe, licet fuga conceſſa ſit, propterea quòd ea ignominioſa ſit, præſertim ſi ſit homo nobilis. At non omnis ignominia quâcunque ratione propelli poteſt, ſi medium corrigendi ſuperſit, & magiſtratus ad æqualitatem rem poſſit reducere; id quod

in

in hac ignominiâ fieri poteſt.

Nam honor] Non puto comparari ex hac patientiâ peculiarem honorem coram mundo. Nam quævis ferre & à quovis virtus non eſt: ſed parere Chriſti mandato & fidem exhibere, adeoque futuram gloriam honori hujus mundi præferre, virtus quædam Chriſtianorum eſt. Et ſi hac in vita meremur laudem, fortaſſe nihil in alterâ conſequeremur. Propterea enim Chriſtus ignominioſum quid nobis ſubire juſſit, ut fidem noſtram oſtentaremus. Si hac in vitâ præmium, honor nimirum nobis deberetur, quid magni præſtaremus pro regno cœlorum?

Nec Chriſtiani] Philoſophi id quod Chriſtus præcepit videre ex rerum naturâ non potuerunt: ea enim eouſque tantum nos ducit, ut videamus ratione circumſtantiarum, *quis*, *quid*, *circa quid*, *cujus gratiâ*, *à quo &c.* ferenda eſſe mala: æternæ vitæ obtinendæ gratiâ quidvis tolerandum, perſpicere nullus Philoſophus ex lumine naturæ potuit.

§ 11. Neſcio an ſpecies Juſtitiæ particularis, quam expletricem Autor, nos retributivam vocamus annumerandum, quòd raptori, vita adimi poſſit, & quidem eam ob cauſſam, quòd quæ inter rem & vitam inæqualitas ſit, ea favore innocentis & raptoris odio compenſetur. Nam odium delinquentis & favor innocentis nullam æqualitatem vel inæqua-

æqualitatem in Juſtitiâ particulari introducere poſſunt. Quin potius ex Juſtitiâ univerſali hoc dependere videtur; quia Magiſtratus quod ipſe punire nequit, id puniendum privatis relinquit. Malus ergò animus hîc privatis puniendus committitur, quò cæteri deterreantur.

§ 12. Leges quæ furem nocturnum occidi permittunt, non videntur aliâ quàm ſuprà à nobis traditâ cauſsâ niti; quia nimirum furta nocturna manerent impunita, ſi eo tempore quo maximè poſſunt & ſolent delinquere, iis parceretur. Cùmq; diurno tempore & cognoſcere & perſequi furem poſſimus, atq; adeò per Magiſtratum curare corrigi damnum, denegatur propria vindicta. Id enim quod plerumque ita ſe habet, leges tradunt; quia non dubitandum, ſi furem Magiſtratui indicare nequeamus nec fugientem perſequi, trajici telo eundem poſſe, quò recuperemus id, quo deſtituti fortaſſe in paupertatem incideremus. Multum etiam facit affectus rei ſuæ retinendæ, qui veniam meretur, item metus graviorum periculorum, qui non æque diurno ac cturno tempore incutitur.

§ 14. Statuit Autor permiſſionem à lege datam ad occidendum, à peccato non liberare, licet veniam quis mereatur pœnæ. Rationes has reddit, 1. quia lex jus necis in cives non habet ex quovis delicto, ſed tantum ex eo

quod

quod lege Moſaicâ jubetur à Deo morte puniri; aut ſi quippiam ſit, quod eidem æquale exiſtat rectâ æſtimatione factâ. Verùm cùm notiſſimum ſit eas leges populo Judaico præſcriptas & ingenio illius accommodatas fuiſſe: omnibuſq; adeò populis temerè applicari non poſſe; (per experientiam quippe conſtat, ſingulos populos ad certa vitia pronos eſſe) cumque & hoc ex ſuperioribus conſtet Legis-latorem in imprimendo dolore eòuſque progredi, donec ad reprimendas actiones vitioſas ſufficiens ſit: apparet aliquando ad mortis pœnam in unâ civitate deveniri poſſe; ſi aliâ mitiori pœnâ ab actionibus vitioſis dimoveri homines nequeant. Quæ ergò pœna furti in populo Judaico ſufficiebat ad reſiſtendum vitio illi, non æquè apud reliquos omnes populos hanc vim habet.

Præterea] Argumentum alterum, quo utitur, tale eſt:

Quod Judiciorum autoritatem tollit, admitti non debet: privatis committere jus interficiendi tollit auctoritatem Judiciorum, facitque eam fruſtrà eſſe. Ergo, privatis jus non datur, ſed tantummodo venia à pœnâ. Reſpondemus, negando minorem, quia tunc tollitur, aut fruſtrà eſt autoritas Judiciorum, ſi jus occidendi ſibi ſumunt privati etiam eo caſu, ubi per magiſtratum pœna infligi poteſt. ſecus ſe res habet quando injuſtum corrigi aut factum puniri à Magiſtratu nequit. Repeti-

mus

nus autem quod quæſtionem ipſam concernit, à nobis *init. huj. cap.* tradita, quòd nimirum in quibuſdam caſibus veniam mereamur, in quibuſdam Jus occidendi habeamus.

§ 16. Quæ hactenus diſſeruimus de privatâ defenſione pertinent ad eos, qui ſub magiſtratu ſunt, cujus ope regulariter injuriam ulciſci poſſunt: At in publicis diverſa ratio eſt; quia deficiente planè magiſtratu alteri in alterum conceſſum eſt, quod magiſtratus in corrigendis non modò ſed & coërcendis delictis poteſt.

Præterea] In bello privato quandoque locum habet, quod magiſtratus in retributione obſervat; quandoque, quod ex juſtitia univerſali facit: ſed hæc omnia eo caſu, ſi magiſtratus ex officio procedere non poſſit: adeoque privatum bellum à publico non rectè videtur per hoc ſeparari, quòd privatum defendendi ſit potiſſimum, publicum & ulciſcendi gratiâ. Hæc enim diſtinctio eſſentialis non eſt, ſed ab affectionibus deſumta: ſecundum eſſentiam progredienda ita differunt, quòd aliud ſit inter eos, qui ſub magiſtratu ſunt, quibus nihil amplius conceditur, quàm quod per magiſtratum corrigi non poteſt, ut declinantes injuriam faciant, quod ipſe magiſtratus faceret puniendo delinquentes, aliud verò inter eos, quorum injuriæ per magiſtratum nullum corrigi poſſunt.

§ 17. Quòd

§ 17. Quod & ex metu potentiæ bella ſuſcipere cogamur, fit propter defectum, qui in ſocietate humanâ reperitur, quòd nimirum imperia & gentes inter ſe non coïerint in ſocietatem nec judicia conſtituerint. Qua de cauſſâ cuilibet periculo futuro, quod metuimus, quovis modo obviam ire tenemur; ne damnum nobis inferatur, quod poſtea corrigi nequit. Non ergò omnem Juſtitiam tali denegarem bello, ex hypotheſi ſcil. quatenus nulla ſunt judicia inter gentes, quibus injuriæ illatæ vindicari poſſint. Hinc metus juſtus futuri mali in imperfectâ hac ſocietate ſatis cauſſæ habere ad vim inferendam videtur. *Nicephor. lib.* 5. *oportet igitur*, inquit, *qui citra periculum velint vivere, eos occurrere impendentibus malis & antevertere; nec eſſe cunctandum, aut exſpectandum ut acceptam injuriam cum periculo ulciſcaris. ſi in præſentiâ creſcentis plantæ radicem præcidere poſſis, & adverſarii malè cogitantis conatus opprimere.*

At in perfectâ ſocietate ubi correctioni per magiſtratum locus datur, injuſtum eſt, pro metu vim inferre, quia ope magiſtratus metus tolli poteſt.

§ 18. Quæſtionem tractat hoc §. an etiam illi qui bellum promeriti ſunt ſe juſtè defendere poſſint. Ego hîc diſtinguendum puto utrum ex retributivo juſto procedant hoſtes & nihil ulteriùs quàm reparationem damni quærant; tunc

tunc enim injuſtè reſiſtitur, quia eidem ultrò nos offerre tenemur ratione conſcientiæ, ne inæqualitas oriatur; an verò vel in vindictam, ut malum pro malo rependant, vel ex juſto univerſali ad puniendum aliquod crimen, quo vel ipſi lædentes emendentur, vel aliis exemplo ſint, bellum geratur: tunc enim, uti nemo ultrò pœnæ ex criminali Judicio ſe offerre tenetur, ita nec talem ab hoſte pœnam ferre conſcientia ſuadet: ſufficit enim nos de emendatione propoſitum firmum habere, læſisque illud promittere implorata venia. Idque etiam tantùm exempla ab Autore prolata probare videntur.

CAP. II.

§ I. *Est autem Noſtrum*] Cavendum probè eſt, ne decipiamur vocabulo noſtri, quod valde æquivocum eſt, & fallaciam gignere poteſt, quod & Ariſtoteles notat circa Platonem. *l.* 2. *c.* 3. *de Republ.* Quia Autor *noſtrum* videtur latiſſimè extendere, ut ſignificetur omne id quod noſtri gratiâ eſt; Quia verò noſtrum excludit alios, utpote quod nobis ſolis competit, communia minus rectè ad noſtrum referentur. Rectius ergò fortaſſe dicemus, id quod hominum gratiâ eſt à naturâ ut vitam eorum conſervet productum vel eſſe commumune hominum omnium, vel proprium ſingularum aut plurium.

Aut

Aut ad actus aliquos] Facultas exercendi actum liberi hominis, permutandi nimirum, emendi, vendendi non videtur rectè conſtitui ſpecies ejus quod noſtrum eſt.

Vacuæ à Proprietate] Non convenire videtur, ejus, quod noſtrum eſt, conſtituere ſpeciem à *proprietate vacuum*; id enim noſtrum non eſt, quia noſtrum proprietatem includit. Fortaſſe autem aliquo modo tolerari hæc poſſunt. Quemadmodum enim in Republ. Platonica poterant, non ut ſinguli ſed conjunctim ſumpti dicere, hoc noſtrum eſt; ita quæ hominum gratiâ à naturâ producta ſunt, dicentur noſtra, ſi humanum genus totum conſideramus; licet non ſtatim ſinguli hoc eſt meum dicere poſſint. Et hæ res à proprietate vacuæ Autori vocabuntur.

§ 2. Omnia quæ in hac terrâ ſunt hominum gratiâ eſſe demonſtrat Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit.* ſequeretur enim quædam fruſtrà eſſe, ſi uſum nullum homini præſtarent. Ex hoc verò porrò conſtat, totius humani generis communia cuncta eſſe, ut totum hominum genus dicere poſſit, hoc eſt meum.

Hinc factum] Malè Autor putat, ex eo quòd DEUS generaliter hominibus jus in res contulit; ſequi, quemlibet potuiſſe ad ſuos uſus arripere, quod vellet, & quæ conſumi poterant conſumere. Nam quod communioni datùm, nec ſingulis attributū eſt, ſecundum pro-

portionem Geometricam ex Juſto diſtributivo ſingulis partibus ſocietatis aſſignari debet, non autem temerè quilibet quidvis arripere licet: Hinc enim querelæ oriuntur & perpetuæ contentiones. At dicas, naturam æquales omnes produxiſſe. Reſpondeo, falſum id eſſe; cum alii à naturâ ſervili ingenio, alii liberali & quidem ſecundum gradus præditi ſint. Si ergò ratio eſt id, per quod homines ſumus, & hominis quâ talis gratiâ civicta ſunt; neceſſe eſt eum in diviſione plus participare, qui plus ejus habet, per quod homines ſumus. Idque convenit cum iis, quæ ab hominibus ſemper obſervata ſunt: ſervis enim acquirere denegarunt. Quod ſi ob talem inæqualitatem neges inæqualiter res dividendas, ſed æquales omnes ponas; neceſſe erit diviſionem æqualiter fieri, & nec tunc, quod Autor ſtatuit, juſtum eſt, ut quilibet ad ſuos uſus arripere poſſit, quod velit & conſumere quæ conſumi poſſunt.

Etenim æquales inæqualia accipere in jurum eſt. Quòd verò initiò homines admiſerint, ut quivis quidlibet occupare poſſet, ex accidenti factum propter multitudinem rerum creatarum & exiguum hominum numerum.

Neque is ſtatus] Progreditur Autor ad explicationem quandam ſtatus integritatis, & qualis ille fuerit, quodque in ſimplicitate conſtiterit, tradit: quâ de re, cùm ad Theologiam

logiam pertineat, nihil dicemus.

Videbant autem] Ut Autor ſententiam ſuam confirmet; nimirum Jure naturæ quidvis à quovis apprehendi & conſumi poſſe, ponit hæc 1. ſimplicitatem ſummam, quæ fortaſſe æqualitatem arguit, ut alter præ altero non emineat. 2. homines ex ſpontè naſcentibus è terrâ vivere poſſe: accedente enim curâ inæquales fiunt, quando inæquales operas contulerint & tunc ſecundum illam proportionem operarum iiſdem fructus competent: ſecus ſi fiat, injuſtum orritur. Sed poſt lapſum ponere homines ſimplices & ſine prudentiâ item viventes exſpontè naſcentibus ſine cura ſeu directione rerum ſecundum rectam rationem ad uſum, eſt ex hominibus beſtias facere; quibus tamen natura dominium propter defectum rationis. Denegavit, hominibus verò ut ratione rebus præſint, dirigantque, eaſdem ad ſuum uſum dedit. Minor præterea Autorem ſimplicitatem illam ob quam primorum hominum vitam laudat in Americanis nobis oſtendere, barbaris & feris hominibus: an ergo ex barbarie Jus naturæ æſtimandum eſt? Parum autem omnia ad rem faciunt: neque ad Juſtum naturale determinandum quicquam conducit noſſe, aliquando homines non feciſſe hoc vel illud & quidem ex defectu prudentiæ. Nam quod prudentia vera dictitat, pro injuſto habendum non eſt. Nec

ſequitur, ſi aſtutia eſt mala, ſimplicitas erit bona: datur enim prudentia, quæ quatenus talis cum virtute conjuncta eſt, ex quâ perfectio hominis, & per conſequens, Jus naturale æſtimari debet: naturale enim quid ſit, ex eo petendum, in quo perfectio cujusque rei conſiſtit. Uti enim corpus ſine oculo ubivis offendit: Ita homo in actionibus occupatus ſine prudentiâ: eſt enim ſimplicitas cæcitas quædam mentis."

Simul diſcimus] Mens ergò Autoris eſt, communionem naturalem eſſe; ſed ab hac receſſum pacto vel expreſſo per diviſionem vel tacito per occupationem; & ita Dominia rerum niti pacto vel expreſſo vel tacito hominum à naturali communione recedentium, adeòque Juris legitimi eſſe. Hæc verò mera figmenta ſunt, nec quicquam ſolidi continent; unde alii oriuntur errores de præſumptâ voluntate paciſcentium, ex quâ varia infrâ conatur demonſtrare. Nos potius dicimus dominium ortum eſſe ex naturâ rerum, quibus ad vitam utimur; quædam enim ita comparatæ ſunt, ut iiſdem uti nequeamus, niſi alios excludamus à facultate habendi, adeoque eæ quantæ quantæ ſunt, noſtri & non alterius gratiâ eſſe incipiant. Quod ipſum in initio hujus §. Autor fatetur; quando dicit, quod quiſque arripuiſſet, id ab altero eripi ſine injuria non potuiſſe. Quod autem ſine injuriâ

eripi

eripi nequit, ſpeciem habet rei ſub dominio exiſtentis. Atque adeò dum Autor communionem Juris naturæ aſtruere conatur, Dominium quoddam probat. Et hæc ita ſe habent circa ea quæ ſponte naſcuntur: In iis quæ curâ indigent, neceſſe eſt, proprietatem dominiumque dari. Quod ita probamus: Liber enim homo nihil alterius gratiâ facit temerè: ſuum ergò eſſe debet, cujus curam habet: alterius gratiâ fruſtrà laborare ſervile eſt, & quærelas parit. Apparet ergò neceſſariò dominium dandum, ut injuſtum tollatur, & quidem rebus, quibus ad vitam utimur id exigentibus. Quare & dominium à naturâ eſt: id enim naturaliter eſt Juſtum, quod ex ipſa naturâ rerum, ad quam eæ propenſæ ſunt cognoſcimus. Fundamentum ergò dominii præter res ipſas, libertas eſt; quæ facit, quemlibet ſui gratiâ eſſe & operari. Quare ut cultus rerum conſtet, nec tamen querelæ oriantur, neceſſe eſt, quædam tota noſtri & non alterius gratiâ eſſe. Accedit & hoc, quid quæ hominum gratiâ ſunt pleraque directione certi cujuſdam hominis indigeant: ſi enim temerè cuivis committerentur, fortunâ potius quàm ratione regerentur. Quòd ſi verò ratione dirigi rebus ſalutare eſt; neceſſe eſt certam aliquam & fixam rationem eſſe, quâ dirigantur. Temerarium quippe eſt & fortuitum, quod modò huic modò alteri fini deſtinatur, nec cer-

certum finem habet. Hinc argumentor.

Quod communiter hominibus datum eſt, ſalutariter verò quoad ſingulas partes, à ſingulis dirigitur, illius diviſio eſt à Jure naturæ.

Rès multæ ſunt è numero rerum hominibus à naturâ datarum, quæ ſingulæ ſalutariter à ſingulis diriguntur, damnum verò patiuntur, ſi temerè à quavis aut nulla regantur ratione, quod experientia conſtat.

E. Res multæ diviſionem ſubeunt naturâ.

Et per conſequens non ex aliquo peculiari pacto aut, tacito ſive expreſſo Dominia manant; ſed ex ipsâ rerum naturâ.

§ 3. Ex præmiſſis conatur Autor probare: mare ſumptum ſub ratione integri, aut ſub ratione præcipuarum partium in proprium jus abire non poſſe. Argumentum primum eſt tale: Ubi ceſſat pactum, quod cauſſa recedendi à communione eſt, ibi ceſſant dominia; quia in precedentibus oſtenſum, ex pacto ob cauſſas à communione homines receſſiſſe.

Atqui in mari aut præcipuâ ejuſdem parte ceſſat pactum.

Ergo circa mare Dominium non datur.

Reſponderi poteſt & majorem & minorem falſas eſſe: nititur enim major in hypotheſi & figmento Autoris ſtatuentis communionem rerum naturalem eſſe, cùm potius ex ipsâ

rerum

rerum quarundam & liberorum hominum naturâ dominia dependere probaverimus. Minorem autem dum probare nititur, rationem non profert eam quâ antea ſeceſſionem à communione probabat, Sed aliam quâ noſtram incurrit ſententiam : ſyllogiſmus ipſius talis eſt:

Cujus tanta eſt magnitudo ut ad quemvis uſum omnibus ſufficiat, in eo temerè & ſine cauſsâ à communione receditur, & per conſequens injuſtè.

Maris tanta eſt magnitudo, ut ad quemvis uſum ſufficiat.

E. Ex majore hujus ſyllogiſmi apparet, quodammodo Autorem in noſtram ſententiam decedere & ſtatuere, quòd ob rerum quarundam naturam à communione neceſſariò receſſum ſit, quarum ſcilicet uſus non omnibus ſufficit, ſed neceſſariò in uno tantum aut paucis ſubſiſtit. Ut verò, quid Reſponderi poſſit Autori addamus; dicimus minorem negari poſſe, licet enim fortaſsè quoad hauſtum aquæ pars etiam maris ſufficiat: in capturâ tamen piſcium fortaſſe idem non obtinet; quia certis in locis certa piſcium genera nutrit mare, in quibus ſingulis certus populus proprietatem ſibi aliquam acquirere poteſt, & capturam curare. Idque & humano generi conducere videtur; quia omnes omnibus operam dare nequeunt. Si ergò longo tempore certo in loco maris populus piſcaturam curavit, proprium

prium eùm locum maris quoad hunc uſum ſibi fecit. Quod de piſcaturâ diximus, idem & de navigationibus ſentiendum eſſe videtur.

Eſt & naturalis] Committit hîc Autor μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος, dum circa liquïda, velut phyſicus verſatur & ex fundamentis Phyſicis propriis, quod proprium eſt ſcientiæ civilis probat: facilè ergò ad argumentum Autoris reſpondere licet, quod tale eſt:

Quicquid occupari nequit, non poteſt ſub dominio eſſe.

Liquida non poſſunt accupari: Ergo. Reſponderi quidem poſſet ad hoc argumentum, ambiguitatem eſſe in voce occupari; neque enim idem ſignificare videtur. Sed hoc omiſſo, petamus tantùm probationem minoris; Autor eam ſic probat:

Quæ non poſſunt terminari, nequeunt occupari.

Liquida non poſſunt terminari. Ergo. Dico minorem quoad terminationem, quæ in diſtinguendis dominiis requiritur falſam eſſe. Poteſt enim mare lineis mathematicis in varias partes dividi, adeòque multis modis terminari. Accedunt promontoria terræ continentis Inſulæ, quibus commodè ut punctis in iis lineis uti licebit. Falſum præterea eſt, mare non eſſe terminatum: quid enim ſunt litora? Nihil ad rem facit, quod tota oceani ſuperficies fortè major ſit terræ ſuperficie.

Nec

Nec fingenda diviſio] Ratio quâ Autor porrò utitur pro ſuâ ſententiâ confirmandâ, hæc eſt: Quâ de re per ignorantiam in primâ diviſione nihil cogitatum eſt, ea nec nunc dividi poſſunt; ſed per occupationem in jus proprium tranſeunt. De diviſione maris nihil cogitatum eſt in primâ diviſione, propter ignorantiam; quia ipſis mare maximam partem incognitum erat. Ergo mare nunc non dividi poteſt, ſed occupandum illud, poſteaque dividendum. At occupari nequit, quiâ eſt liquidum, uti præmiſit. Reſpondeo, Autorem malè dominium in pacto quodam ponere fundatum eſſe, uti antea demonſtratum eſt. Quòd verò ſoleant res occupari & occupatione noſtra fieri, id præter Jus naturæ obſervatum ab hominibus eſt. Nam cùm totum humanum genus à naturâ acceperit omnia hæc inferiora: non temerè ſed ſecundum rectam rationem ea dividenda ſunt, uti antea diximus, *& ſeq. cap. pluribus* declarabimur.

Vera ſunt, quæ hoc in §. Autor docet; ſed ratio eorum ex noſtris apparet fundamentis. Nam cùm nulla ſocietatis univerſalis forma inter diverſos populos ſit introducta; quilibet populus pro ſuo arbitrio, prout viſum eſt, arripit territorium; ſinguli autem immobilia non ita apprehenſione & occupatione quàm aſſignatione factâ ab eo, qui ſummam poteſtatem habet, conſequuntur.

tur. Hinc iterum colligo à re ipsâ diviſionem dependere: quædam enim omnium hominum communia remanent, quædam totius populi, quædam civitatis, quædam ſingulorum fiunt. Si enim res unius uſui inſervit & curam requirit, neceſſe eſt unius propriam fieri, idque ſecundum dignitatem, quò juſtè diviſio fiat.

§ 5. Non verum videtur, Jure naturæ liberum eſſe, feras piſces, aves capere, quandiu lex civilis nulla intercedit; quia Jus naturæ ſecundum rectam rationem & non temerè diſtributionem faciendam præcipit.

§ 6. In graviſſimâ neceſſitate furtum vel rapinam non committi demonſtrare vult Autor ex fictâ illâ conventione, quam putat inter gentes de diviſione bonorum interceſſiſſe. Sed hinc nihil firmiter deduci poſſe, ſuprà oſtendimus; quia principia firmiora concluſione eſſe debent: at nil niſi figmenta hæc eſſe videntur. Quid enim non fingere licet voluiſſe dividentes bona mundi? ſtatuimus ergò, licet fortaſſe rapina aut furtum committatur, ſi res alterius vi vel clam aufferatur; veniam tamen mereri eos, qui fame ad rabiem impellente adducti, cui ratio nulla reſiſtere poteſt, tale quid committunt. Hinc Seneca: *Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis, patrocinium omnem legem frangit.* Non igitur fortaſſe furtum non committitur, cùm

cùm ſcienter & ex conſilio hoc faciunt, neceſſitate famis adacti; à pœna tamen excuſantur; quia ex tali affectu faciunt, cui reſiſtere humana ratio nequit. Ubi autem rationi locus non eſt; ibi non ab homine profectum videtur, quod actum eſt.

§ 8. Majorem meretur veniam is qui auffert alicui deneganti ſuccurrere cùm poſſet, & ex liberalitate deberet; quàm qui æquè egenti; neque tamen planè extra veniam eſt, verbi gratia, ſi fame conſumptus auffert alicui fruſtum panis, quod ſolummodo alteri familico ſupererat, minus quidem veniam meretur, quàm ſi diviti vi ſummovet: Nihilominus tamen non planè extra veniam eſt.

§ 9. Certum eſt, ſi quis tempore neceſſitatis quid ſurripit alteri, teneri eum ad reſtitutionem, quando reſtituere poteſt. At ex fundamento Autoris id non commodè deducitur; quaſi ex præſumptâ voluntate hominum bona dividentium hoc fluat, ut tempore neceſſitatis ad communionem redeatur: ſi enim jus communionis tempore neceſſitatis redit, æquè ac in communione nihil reſtituendum erit. Sed reſpondet Grotius findendum eſſe, jus fuiſſe non plenum ſed reſtrictum cum neceſſitate reſtituendi. Sed, ut ſuprà diximus mera hæc ſunt figmenta. Nos potius ex naturâ ipsâ Juſti hoc deducimus. Ubi enim injuſtum infertur ab altero, neceſſe

eſt fieri correctionem per reſtitutionem damni: ſervile quippe eſt damnum ab altero temerè & fruſtrà pati. Si tamen lædens non poteſt damnum reſarcire, nec pœnâ corporali affici: in eum indicit ſtatum, ut licet nunc nihil ab eo exigi poſſit; aliquando tamen, ſi ſolvere poteſt, teneatur. Eſt enim hîc commutatio, quæ neceſſariò aliquàm retributionem exigit, & licet invita ſit; quia tamen cum veniâ eſt conjuncta, incipit quaſi ex ſpontaneâ lædens debere, ut quando poſſit, ſolvat. Et æquè ſe res habet, ac ſi quis egenti mutuò quid dederit, qui tempus ſolvendi nequivit determinare, adeòque ſolutionem confert in tempus quando ſolvendo erit.

§ 10. Quando alterius caſtellum quis occupat, id vel ipſo ſciente facit, & commutatio eſt ſpontanea; vel invito eodem & commutatio eſt invita, cujus tamen correctio ex retributivâ Juſtitia gradus conſequitur, uti præcedenti §. dictum. Ut ſi in extremo periculo conſtitutus id faciat, licet alter læſus ſit, veniam mereatur propter affectum ſe & ſuos conſervandi. Deinde interdum commutatio videtur, quæ non eſt: ſi enim nihil decedat alicui; altero in bonis ipſius aliquid faciente, nulla commutatio eſt, nec retributione opus habet.

§ 11. Jus communionis reviviſcere dicit in utilitate innoxia. Rectius ex natura rerum

rum & ratione uſus, quem habent, principia petuntur. Sunt enim unius rei plures uſus, quorum quidam ſine detrimento communes eſſe poſſunt omnibus hominibus, & ſecundum hoc communio manet; quidam verò uſus unius certi tantùm hominis, aut communionis ſeu certæ hominum copiæ eſſe poſſunt, quos aliis, quàm qui curam geſſerunt aſſignare injuſtum foret, & quoad eos etiam tunc datur proprietas, in cæteris communio remanet.

§ 12. Hæc & quæ in ſequenti §. proponuntur ex repetito à nobis *præced.* §. fundamento quam optimè patent; quod nimirum ex rerum ipſarum natura dependeat proprietas: quædam enim quoad omnem uſum omnibus hominibus inſervire poſſunt, ut aër; quædam quoad unum uſum omnibus, quoad alterum aut multis aut paucis, quædam quoad unũ multis quoad alterum uni. Hinc oriuntur Autori illæ diverſæ exceptiones ratione utilitatis innoxiæ.

§ 13. *Media ſententia*] Poſtulandum prius tranſitum, & extra metum periculi conſtituendum dominum, ex natura bonorum externorum apparet, in quorum numero quoque eſt ſecuritas ab imminente periculo, nemo enim liberorum hominum alterius gratia metum ſubire tenetur. Neceſſe ergò eſt voluntatem domini in his exſpectare & cautionem præſtare, ne metu incuſſo alter injuria afficiatur. Quod ſi ſatis cautum ſit, & nihil de-

cedat domino, uſu rei, quem petimus, omnibus, ſine detrimento patente, non ſine injuriâ uſus ille nobis denegari poteſt.

Sic etiam Metus] Omninò metus hoſtis exceptionem ſufficientem parit ad inhibendum tranſitum alteri, qui cum eo bellum gerit. Injuſtum enim eſt alterius gratiâ amicum amittere, aut non hoſtili animo affectum hoſtem conſequi: hoc namque eſt malum externum, quod temerè alteri ſine compenſatione inferre injuſtum eſt.

Neque verò perſonis] Quid quiſque peregrino præſtare teneatur, & in re ſuâ concedere propter ſocietatem univerſalem populorum nondum initam obſcurum adhuc eſt: ſi enim ſocietas inter totum genus humanum conſtaret, quantum quælibet pars id eſt quodlibet territorium toti ſocietati & ſingulis partibus ejusdem deberet, æſtimari facilè poſſet. Nunc verò ſine ſocietate aut ad minimum in imperfectâ vivitur: unde & difficile eſt quicquam determinare. Si concipienda eſt inter homines ſocietas, ejus finis erit mutuæ indigentiæ ſublevatio; ut quilibet, ſi ſine ſuo damno poſſit, alterius indigentiæ ſuccurrat.

§ 14. Non injuſtè videtur aliquid peti, quandoque pro uſu communi: accidit enim interdum damnum ex eodem inferri. verbi gratia, ſi multi territorium noſtrum tranſeant, fit, ut orietur annonæ caritas, & ita ad inhabita-

bitatores damnum porrigatur. Hinc meritò pecuniam, quæ damnum ex uſu communi, tranſitu ſcilicet illatum æſtimat, meritò tranſeuntes ſolvunt; ne fruſtrà aliorum oratiâ curam reparationis viarum & præſtandæ ſecuritatis habeant incolæ.

§ 16. & 17. Quoſlibet recipere peregrinos in numerum civium non modò periculoſum eſt, ſed nec civitatis cujuſque ſtatus id admittit: finis enim ejus eſt civium beatitudo. At impeditur ea, ſi mores barbarici introducantur, & ſemper obſervarunt boni L. Labores ne quævis importentur, nec quivis in numerum civium admittantur.

§ 18. & 19. Quid per actus communes Autor intellectum velit, ex Jure gentium, prout illud Jus Romanum accipit, addiſcere licebit. Jus gentium enim iis eſt facultas ad actus & negotia peregrinis competens; quemadmodum Jus civile proprium eſt civium, peregrinos excludens. Intereſt enim Reipubl. ne omnes promiſcuè ad omnia admittantur negotia omneſque actus. Hinc à teſtamentis matrimonio & tutelâ arcebantur peregrini. Juris gentium autem omnes contractus Romani fecerunt: Unde patet, peregrinos ad quoslibet contractus admiſſos fuiſſe; an & ad ſtipulationem, diſputant ICti. Videtur tamen non dubitandum; idque patet ex *Liv. lib.* 2. Ubi ſtipulatur dux Romanorum à peregrinis.

Quam-

Quamvis autem contractus omnes peregrinis ex Jure naturali pateant : Quandoque tamen accidit quoſdam prohiberi poſſe etiam in gratiam amicorum : ſi ſcil. hi magis indigeant, quàm alii. Nam ſi contractum alteri, denegare poſſum, me indigente; quidni & ſi amicus meus indigeat : is enim alter ego vocatur.

§ 21. Juri communi ad actus annumerat Autor facultatem ambiendi matrimonia; approbatque Romanorum factum, qui cùm matrimonia à vicinis impetrare non poſſent, vi rapiebant. Id ſi fortè apud barbaros Juſtum eſt, quibus mulieres ſunt inſtrumenta procreandi; fortaſſe aliquando ſummè injuſtum erit: ex amicitiâ enim matrimonia fluunt, ad quam nemo alterum cogere poteſt: Si verò, uti Autor caſum fingit, ſit populus virginibus deſtitutus, qui à finitimis nil impetrare poſſit, & vi auſſerat, quòd in cœlibatu vivere nequeat, affectui aliquid condonandum; injuſtè tamen facit, qui quod ex amicitià proficiſci debebat vi acquirit.

§ 22. Jus commune Autor ex ſuppoſitione vocat, quod uni populo conceſſum, alteri denegari nequeat. At cùm multa ex amicitiâ fluunt, neſcio an præcisè omnes poſſint adigi ad præſtandum omnibus, quod uni conceſſerunt. Id quod ipſe Autor agnoſcit *§. ſeq.* 23. Illi verò actus, quos enarrat, nimirum, venari, piſcari, accupari, margaritas legere &c. non

ſunt

ſunt ſimpliciter vi naturalis libertatis quibuslibet conceſſæ, ſed conſiſtunt in poteſtate eorum, quorum territorium eſt. Hoc autem fateor, ſi omnibus indiſtinctè à certò populo hactenus conceſſa denegentur uni; odium quoddam præſumi poſſe, & rationes exigi quare fiat.

CAP. III.

PRoprietatis acquirendæ duas facit ſpecies, originariam & derivativam. Originariam acquiſitionem hodiè per occupationem tantùm fieri, olim, cùm genus humanum coire ob paucitatem adhuc poſſet, & per diviſionem fieri potuiſſe, tradit. Immò videtur olim ob paucitatem hominum illa temeraria occupatio introducta; ut quilibet quod placeret arriperet, excoleret, ſibique ſoli, poſtquam excultum eſſet, haberet: ob magnitudinem enim terræ & paucipatem hominum parvi interfuit, quid quiſque ſumeret. Hodiè poſtquam univerſus terrarum orbis penè ab hominibus occupatus eſt, de diviſione magis convenit homines ſollicitos eſſe. Et ſi ſocietas univerſalis inter populos omnes eſſet conſtituta, fortaſſe conſultum foret inter ipſos leges condi de territoriis occupandis, ne præter modum unius potentia augeatur; ſed quantum fieri poteſt, æqualitas ſer-

ſervetur. In partibus territoriorum divendis pro merito cuilibet pars aſſignanda, uti Juſtum diſtributivum requirit. Unde ſuprà *§ 4. præced. cap.* aſſignationem potius, quàm occupationem vocandam dicit Autor. Quomodo ergò rectè Autor originariam acquiſitionem hodiè tantum per occupationem fieri debere ſtatuat, non video. Si fortè dicat, præcedere occupationem, quia populus prius occupare, quàm ſingulis portionem aſſignare debet. Reſpondeo, hoc non tollere meum dubium, quia Autor loquitur de acquiſitione, quà ſingulari Jure aliquid noſtrum facimus. Ut ergò in ſummâ comprehendamus, quod ſuprà & hîc fusè dictum: Juris naturæ eſt, ut propria omnia ſint ad ſingulorum vel univerſitatis, vel totius populi. Aliàs enim cura non haberetur rerum ſingularum; quia non unus omnium curam habere poteſt, ſed certis rebus certi præficiendi: ſic enim, circa ſuperflua commutatione factâ, ſinguli debito modo exculta & perfecta ad vitam neceſſaria conſequentur. Quæ ergò quisque naturaliter habere debeat, ex dignitate dependet, ut attendatur, an ſufficienti inſtructus ſit: prudentiâ adeo quæ conſequitur debito modo excolenda. Sed quia vix id fieri poteſt inter populos circa regiones, præſertim cùm natura poſt occupationem jam factam ingenia regioni cuilibet convenientia ſecundum diverſita-

ſitatem Zonarum producat : in ſingulis tamen cujusvis populi territoriis hoc obſervandum erit, ſi aſſignatio fundorum facienda. Et hæc naturaliter Juſta nobis videntur. Quare colligo quæ circa Originariam acquiſitionem Autor tradit dubio non carere : uti enim in rebus communibus non dicitur originariè acquirere qui quid communi dividundo judicio conſequitur:ita nec in rebus à naturâ humano generi datis; quia Jure naturæ per diviſionem aut aſſignationem quiſque conſequi debet, quod proprium facere vult.

§ 3. Vera eſt regula Pauli, ſpeciem quam produximus noſtram eſſe : aliàs enim alteri operati eſſemus fruſtrà, quod pronat cum naturâ liberorum hominum. Impeditur aliquando iſta regula & patitur exceptionem, ſi materia ſit alterius : ubi tamen iterum percurrenda ſunt commutationum genera & gradus : aut enim volente domino materiæ ſpecies introducta eſt ; & tunc videndum, quid actum ſit ; aut invito eo, & tunc vel à ſciente cum conſilio ; ubi conſilium illud ſpecificantis perpendendum, quale fuerit; aut ignorante,& iterum ignorantiæ gradus & varietates conſiderare convenit. Conferri etiam pretia materiæ & introductæ ſpiciei debent, ut ratione. horum modò Dominus materiæ, modò Dominus ſpeciei præferri poſſit, ſi alter alteri damnum reſarcire velit. Ex quibus apparet, deciſionem

§. quam

§. quam ex alienâ 25. *Inſt. de* R. D. Juræ naturæ locum non habere. De ſententiâ Autoris infrà dicemus.

§ 4. In his autem] Duo occupabilia facit: Imperium & dominium, non rectè, uti videtur: cùm res potius ſint objectum occupationis, dominium verò id quod occupatione acquirimus. Deinde non video, quâ ratione imperium inter occupabilia referri poſſit; niſi de herili & tyrannico loquatur Autor imperio. Nam civile fit in volentes & in electione civium poſitum eſt, ſive id faciant ſpecialiter in ſingulis imperantibus ſive per legem, quæ univerſaliter eligit. Fortaſſe ad conſuetudines reſpexit feudales, quibus introductis Jurisdictio territorio adhæret.

§ 5. Dicit Jus temerè occupandi & apprehendi eſſe ex Jure naturæ permittente: At contrarium eſt Juris naturæ, nimirum, ut non temerè, ſed ſecundum rectam rationem diviſio fiat, ſi fieri poſſit. Hinc quando Autor dicit, humanam ſocietatem non requirere Jus illud, ego potius dicerem humanæ ſocietatis ſalutem id reſpuere & requirere Juſtum diſtributivum, in quo omnia fiunt ſecundum dignitatem.

Quod ſi quis] Potuiſſet aliter taxare errorem hunc ICtorum, qui id putant Juris gentium eſſe, quod ſeorſim pleræque gentes excultæ obſervant: Id enim falſum eſt.

Nam

Nam quando Jus Romanum aliquid Juris gentium eſſe ſtatuit : Intentio tantummodo eſt oſtendere , quibus Juribus peregrini in Romanâ Republ. utantur. Licet ergò ſeorſim inter omnes gentes quid in uſu ſit: niſi tamen Romani ad illud Jus peregrinos admittant , ſed ſolos cives Romanos ejuſdem participes faciant , Juris civilis in Romanâ republ. erit. Hinc colligo , ex mente ICTORUM Romanorum , ea eſſe juris gentium , quæ peregrinis in quâque civitate attribuuntur.

§ 6. Ut quæ tradit Autor hoc §. examinari poſſint ; in definitionem dominii inquirendum eſt : Videtur autem rectè definivi facultas dirigendi ſecundam rectam rationem id quod certi alicujus hominis, aut ſocietatis humanæ gratiâ eſt , ejusque adeò velut inſtrumentum & pars exiſtit. *Ariſt. l.* 1. *Polit. c.* 4. Ex definitione noſtrâ quid in propoſitâ quæſtione , an infantium & furioſorum ſit dominium, ſtatuendum ſit, patebit. Non enim dominium ex ipſo rationis uſu tantùm æſtimandum eſt, ut qui actu nunc uti ratione nequeat, nec dominus exiſtere poſſit jure naturæ. Nam manet res, quæ ſub dominio eſt , pars & inſtrumentum illius, cujus per naturam eſt,licet aliâ ratione adminiculante dirigatur. Nec video,quare dicendum ſit,inter actum primum tantùm ſtare, nec ad actum ſecundum pertinge-

tingere poſſe dominium furioſorum: etenim ſi actus ſecundus dominii penes infantes & furioſos non eſſet, non illi poſſiderent, nec quicquam utilitatis ad illos perveniret. Præterea quis actum primum dominii penes infantes, actum ſecundum penes tutores ſtatuêret? Dominium ergò penes impuberes & furioſos in rei veritate & Jure naturæ eſſe aſſerendum videtur; quia illud quod præcipuum eſt conſtituens eſſentiam dominii in iiſdem reperitur, nimirum ut res tota, quicquid ſit illorum & non alterius ſit. Cum verò propriâ ratione dirigere eandem nondum poſſint, alterius cujusdam ratio adhibetur, quæ procuratoriâ vice fungitur, donec dominorum ratio directioni ſufficiat. Quare nec accuratum videtur, quod dicit, infantes non per ſe utendi Jus habere; quid reverà hoc habent, quamvis alterius rationem directricem in auxilium adhibere cogantur. Quod ſi propter defectum rationis infantes non ſunt naturaliter domini; nec ebrii dicendi erunt Jure naturæ domini rerum ſuarum, nec ji qui affectibus incitati non ſecundum rationem rectam circa res ſuas verſantur: parvi enim refert an exiguo an longiori tempore ratio deſit. Contra Autorem ergò ita argumentamur.

Quod non facit res non amplius eſſe partes alicujus & inſtrumenta vitæ non tollit dominium. (Ex definitione dominii; quia

quia hoc præcipuum eſt conſtituens dominii eſſentiam.)

Atqui ætas, morbus hoc facere nequit, ut res quæ ſemel alicujus gratiâ eſt, ipſiusque pars quaſi exiſtit, deſinat tale eſſe quamdiu ſupereſt remedium, tutela ſcilicet & cura.

Ergo ætas, morbus, &c. dominium non tollunt.

Nam alienatio] Argumentum Autoris contra dominium infantum & furioſorum tale eſt:

Dominium in facultate alienandi conſiſtit.

Penes furioſos & infantes non eſt facultas alienandi. Ergo

Reſpondeo negando minorem: Licet enim leges civiles inhibeant alienationem, adeò ut ex contractu tali non teneatur pupillis; non tamen ſimpliciter hoc faciunt, ſed tantummodo tradunt modum rationis defectum in alienatione ſupplendi. Et proinde ratio, quam pro aſſerenda minore Autor profert, ſufficere non videtur: neque enim verum eſt, quod in ſua natura includit actum prudentiæ & conſilii, ſeu, uti Autor loquitur, voluntatis utentis ratione, non poſſe abſolvi ab eo qui uſu rationis vel propter ætatem vel propter ſexum deſtituitur; quia alterius ratio ſubſtitui poteſt. Hinc enim originem habet Tutela & Cura, quæ officia Juri naturæ conveniunt.

§ 9. Quæ

§ 9. Quæ in fine hujus §. tradit, faciunt pro iis, quæ ſupra dixi, unam eandemque rem ratione diverſorum uſuum modo communem, modo propriam eſſe poſſe.

§ 10. Multa in Jure Romano Juri gentium ſeu naturæ aſſcribuntur, quæ Juris naturæ in rei veritate non ſunt; ſed tantùm ex opinione ICTORUM Romanorum: & talia rectè quidem in civitate Romanâ Juris gentium eſſe dicuntur, quia ea non modò cives Romani, ſed & peregrini pârticipant. Quòd verò Autor ex Jure naturæ vult limites præſcribere, quousque proprietas maris extendi queat, ſine ratione eſt. Leges quoque quas §. 9. & 10. citavit, non obſcuram involvunt antinomiam, adeò, ut de conciliatione earundem deſperemus, miremurque Autorem ex tam obſcuris ſententiæ ſuæ fundamentum petere voluiſſe.

§ 13. Tradit Autor nudum, imperium in mare facilius acquiri poſſe, quàm dominium: id ex definitione noſtrâ demonſtrari poteſt; quia facilius eſt, facultatem regendi navigationem ſibi parare, quàm ut mare concipiatur pars quædam noſtri & inſtrumentum vitæ.

CAP. IV.

§ 1. DIſputat Autor de Jure uſucapionis, an nimirum & Jure naturæ locum habeat inter eos qui Jure civili invicem non tenen-

tur. Argumentum quo in fine hujus §. utitur tale eſt:

Quo ſublato lites in infinitum extenduntur, illud Juris naturæ eſt.

At ſublato Uſucapionis jure, lites in infinitum extenduntur. Ergo.

Reſpondeo ad minorem, falſam eſſe lites in infinitum extendi,ſi Uſucapionem tollamus:id enim tantummodo ex hypotheſi verū eſt propter defectum ordinis, qui, ſi obſervaretur in alienatione rerum,præſertim immobilium, facile impedire incertitudinem dominii poſſet. Deinde nec facile probatu eſt,ſublatâ uſucapione lites accreſcere in infinitum:Si enim Judicia debito modo conſtituta ſint,nec lites in iiſdem protrahantur, in infinitū excreſcere non poterunt, ſed debito modo finem ſuum conſequentur. Ad majorem reſpondeo;eam quoque ſimpliciter veram non eſſe: poſſum enim ſubſumere: ſublatis duellis, quorum beneficio quadrante horæ lites expediri poſſunt, creſcere lites in infinititum:nec tamen duella idonea media ad dirimendas controverſias ſanæ mentis homo ſtatuet. Nos contra argumentamur:

Quod querelas auget, non eſt juſtum medium tollendi lites, imò injuſtum.

Uſucapio querelas auget; quia domini conquerendi plus cauſæ habent, ſi planè nihil ipſi ſuperſit rem recuperandi, tranſlato ad alterum dominio; quàm ſi con-

conceſſis actionibus rem repetere iisdem licet.

§ 2. Quod attinet ad hiſtoriam Jephtis, non æquè ex Jure Uſucapionis, quàm ex eo fundamento argumentari is voluiſſe videtur, quod ob diuturnam taciturnitatem nihil Juris olim Rex Ammonitarum habuiſſe præſumi poſſit: Locus ex Iſocrate non probat dominium naſci ex diuturno uſu, ſed potius opinionem dominii, quod indicat verbum νομίζουσι: nec ſtabilis & firma poſſeſſio idem eſt, quod dominium. Quin & reliqua loca citata firmam tantummodo arguunt opinionem de dominio, non concludunt dominium ipſum. Interdum tamen vanum eſt, ejuſmodi opinioni inveteratæ ſe opponere, ſi ex hiſtoriis, quæ fabulis ob vetuſtatem ſimiliores ſunt, conjecturam quandam capere velimus, quò ſpectat Diodorus citatus. Sed hæc omnia nil aliud inferunt, quàm quod attendendum ſit Judicanti, utrum conjecturæ ex antiquitate petitæ, quibus actor pro aſtruendo dominio utitur, ſufficientes ſint ad probandum dominium; nullo modo verò denegandam plane actionem iis, qui dominium prætendunt, confirmant.

§ 3. Si Autor in præſumptâ derelictione uſucapionis naturam vult conſtituere, licet Rubrica primâ fronte aliud indicare videatur: obſtat eidem quod præſumpta derelictio non ſufficiens cauſa ſit ad hoc, ut dominum me rei alte-

alterius facere poſſit: quia voluntas contraria repetentis domini ſatis oſtendit, præſumptionem illam falſam eſſe. Antequàm ergò ad examen eorum, quæ autor in ſeqq. proponit, accedamus; naturam uſucapionis & unde originem ſuam habeat, quidque differat à præſcriptione, declarabimus. Supra diximus, eſſe quandam commutationem invitam, quâ dominus actu ſecundo dominii privatur, ex quâ tamen de poſſidente nihil diſputare licet, propterea, quod is nec ſciens nec per ignorantiam, cujus cauſa ipſe ſit, quid fecerit. verbi gratia, fieri poteſt, ut Titius emat fundum à Mævio, putans Mævium dominum eſſe, cùm reverà non ſit, adeoque alterius fundum acceptum à Mævio poſſideat, exiſtimans ſuum eſſe, licet in rei veritate Sempronii ſit, cui fit injuria, dum fundum, cujus exiſtit dominus, non poſſidet; nec tamen is de perſonâ Titii poſſeſſoris conquiri poteſt, quia ipſius culpâ nihil damni eidem illatum eſt. Hinc Jura Romana Sempronio domino rei vindicationem concedunt, ut licet non de culpâ poſſeſſoris, aut de ejus perſonâ, cum eo tamen de re ipsâ & quòd ſibi dominium circa eam competat, diſceptare poteſt. Cognito ergò, dominum Sempronium eſſe, poſſeſſor Titius rem eidem reſtituere tenetur. Sed ne & poſſeſſor damnum patiatur, regreſſum habet adverſus venditorem, qui de evictione ipſi tenetur. Hîc verò inju-

injuria ementi infligi poteſt: ſi poſt multum temporis elapſi, quo poſſeſſor amplius eum à quo rem emit convenire non poteſt, vindicet dominus rem ſuam: amittet enim emptor pretium rei emptæ. Ex quibus ſequitur, quemlibet dominum diligenter in res ſuas inquirere debere. Hac iniquitate moti Romani Legumlatores tempus certum inquirendi conſtituerunt dominis, & niſi eo tempore res vindicarent, amiſſionem earum pœnæ nomine dictarunt. Idque uſucapio vocatum, à quâ diverſa eſt præſcriptio, quâ dominium non acquiritur, ſed exceptio tantum quædam eſt competens ei, qui titulum allegare non poteſt, per tempus tamen longius rem tenuit; & hic dominus fieri nequit, quia non præſtitit ea, quæ decet præſtare, ſi dominium conſequi velimus. Ex his enarratis probabo uſucapionem Juris naturæ non eſſe, ſed Juris ligitimi. Nam

Quod æquè juſtum ac injuſtum dici poteſt, nec magis in unam ac alteram partem propendet, in eo fruſtrà Jus naturale quærimus. (Per definitionem Juris naturæ ſupra traditam.)

Atqui non vindicantem Dominium intra certum tempus illud amittere, æquè juſtum ac injuſtum eſſe poteſt.

E. Eum qui intra certum tempus dominium non vindicat, amittere illud, juris naturæ non eſt.

Mino-

Minorem probo : Æquè enim ac contingit venditorem amitti, & conveniri non poſſe, æquè accidit & poſſe:ſi poteſt,injuſtè privatur dominio, ſi non poteſt, alia remedia plura ſuperſunt corrigendi eam inæqualitatem, videlicet attendendo ad gradus negligentiæ domini in inquirendo. Non niſi ergò civiliter juſtam eſſe uſucapionem, ex his apparet; ex placito enim Legumlatorum dependet.

His ita præmiſſis, quæ Autor tractat de derelictione præſumptâ, eò commodius examinare poterimus. Et quidem quæ §. 3, 4 & 5. præmittit, non opus eſt multis hîc examinare: Certum enim eſt præſumi ſæpè voluntatem alicujus ex uno vel altero facto, ex quâ præſumptâ in ejus præjudicium aliquid fit; quòd ex exemplis ab Autore enarratis conſtat.

§ 6. Nimis extendit vim præſumptionum. 1. à temporis diuturnitate ad ſcientiam, quòd non veriſimile ſit, longo temporis ſpatio ad notitiam alicujus non pervenire, dominum éum eſſe. 2. ab eâdem ad excuſſionem metus, quo impeditus quis ab initio dominium vindicare non potuit.

§ 8. Ad objectionem non ſolidè reſpondet, quia nemo præſumitur jactare ſua, quæ maximè amat : Unde derelictio manifeſtè probanda & non à conjecturis petenda. Quòd verò contrâ argumentatur, neminem hoc animo eſſe, ut rei caducæ causâ velit alterum in peccato

vivere,& propterea vel vindicaturum eum vel tacitè dereliċturum rem ab altero poſſeſſam, ne alterum relinquat in peccato. Ad id reſponſio facilis eſt; quia bonæ fidei poſſeſſor, de quo hîc ſermo potiſſimum eſt: ad uſucapionem enim bonæ fidei poſſeſſor requiritur: in peccato non eſt. Si de malæ fidei poſſeſſore loquitur,dominus tacendo eum à peccato non liberat, licet tacite dereliquerit;quamdiu enim in opinione eſt, rem poſſeſſam alterius eſſe, tamdiu in peccato verſatur. Ad officium ergò domini pertineret, potius apertè illi donare. Quin hoc modo ſequeretur, omnes res furto ablatas pro derelicto habendas eſſe,ne fur diutius maneat in peccato.

De imperiis.] Vera hæc eſſent, ſi loqueretur de imperio civili: at vix eſt, ut hoc ſub uſucapionem cadat; & cum pleraque imperia herilia ſint, de quorum uſucapione quæritur, illa præſumptio nullius momenti eſt. Deinde appetitus regnandi, qui in hominibus communiter perſpicitur contrarium teſtatur.

Quod ſi etiam] Adverſus præſumptionem, quâ quiſque ſua ſervare velle creditur, validiorem dicit alteram; quod credibile non eſt, quenquam ejus quod vult, longo tempore nullam plane edere ſignificationem idoneam. Sed reſpondeo, has duas præſumptiones æquè firmiter ſtare, & ex his duabus deſtrui eam, quam §. 6. poſuit. Colligitur enim ex his

quæ-

quædam ignorantia, & per conſequens ſilentium non ſcientis ſed ignorantis: Unde, per ea, quæ Autor *§.5. verb:* Sed ut ad derelictionem præſumptam requirit, nulla firmiter derelictio præſumi poteſt.

Quaſi diffidat derelictioni præſumptæ, ex quâ Jure naturæ uſucapionem conabatur deducere, ad Jus gentium poſitivum recurrit: argumentum tale eſt:

Quod ad pacem publicam facit, in id credibile eſt gentes conſenſiſſe.

Atqui immemorialem & non interruptam poſſeſſionem parere dominium, facit ad pacem publicam. Ergo

Sed quare non æquè ſubſumere licet, ſi nihil nobis ablatum repetamus, hoc facere ad pacem publicam. Ergo credibile eſt in id gentes conſenſiſſe, & inter eas Juris voluntarii hoc eſſe? Ut autem dicamus quod res eſt. Quia diuturna & non interrupta à tempore immemoriali poſſeſſio, ſemper de injuſtitiâ rem petentis præſumptionem infert: ſequitur luce meridianâ clarioribus probationibus inſtructum eſſe debere, qui vindicare res quaſdam conatur, ne temerè lites moveantur. Deinde, quia hominibus inditum eſt, recentes injurias magis ad animum revocare, & de amiſſis magis dolere, quæ ſibi vel parentibus ablata ſunt, quam quæ majoribus: Etiam vitio magis vertitur illis, qui in majorum injuriis præſertim lon-

longè diſtantibus corrigendis occupati ſunt, & ut lites tractent, ab orco cauſas repetunt. Adeòque & inter gentes uſucapioni præſcriptionique ſimile quiddam locum habere videtur. Quibus motus Autor, & inter gentes uſucapionem, quæ ſolo Jure civile reverà introducta eſt, jure naturæ valere exiſtimavit.

§ 10. Cùm negaverimus ex Jure naturæ uſucapionem dependere, nec ex eodem quæſtionem decidere poſſumus, an noceat nondum natis nec ne. Videtur autem Autor hanc quæſtionem moviſſe, occaſione deſumptâ ab iis, quæ diſputat Covarruvius C. *poſſeſſor p.* 3. §. 3. an nimirum præſcriptio noceat etiam iis, qui jus non habent ab iis, quibus ſuccedunt, ſed primo quodam inſtitutore, ut in majoratu & fideicommiſſis: dubium autem propterea movetur, quia ſinguli ſucceſſores à primo inſtitutore vocati cenſentur, ut quilibet dominium rerum habeat in vitâ ad mortem uſque, atque eo mortuo ſuccedat alius ex inſtitutione primâ, non Jure ultimi poſſeſſoris. Quod tamen refutat Covarruvius *d. l.* hac ratione, quia per præſcriptionem quis à lege vocatur ad dominium ſimpliciter & perpetuò. Et licet non ſuccedant ſinguli Jure ultimi poſſeſſoris, ſuccedunt tamen in dominium, quod ille habebat, quo exſtincto per uſucapionem, illi quoque nihil conſequi poſſunt. Hanc Co-

Covarruviæ diſputationem contra alios Doctores hic in medio relinquimus, & illud tantùm nunc circa textum Autoris urgemus; quòd poſito, uſucapionem in præſumptâ derelictione conſiſtere, ea talibus ſucceſſoribus non noceat, quia in iis ſcientia nulla eſt, nec præſumpta derelictio locum habet. Reſpondet Autor nihil fuiſſe antequam naſcerentur, & propterea eorum nullas fuiſſe affectiones: nego hoc, quia & naſciturorum affectiones ſunt, alias de iis nihil prædicari poſſet; neque enim ſunt pura, puta non entia: ſufficit ergò ſemel illorum gratiâ cæpiſſe bona à primo Inſtitutore illis aſſignari: ſanè ex præſumptâ derelictione unius ſuccedentium non poſſunt deſinere illorum eſſe; quippe quæ illorum non eſſe deſinerent, licet expreſsè ſe derelicturum unus ſucceſſorum declararet. Quòd ſi ergò adverſus hoc cum Covarruvia ſtatuere velimus præſcriptionem locum habere, & Jure naturæ quærere rationem, in damno poſſeſſoris quærendâ foret, quod nimirum is non habeat regreſſum adverſus venditorem, ſi reſtituere teneatur illa bona. Et ita non præſumpta derelictio fundamentum erit naturalis uſucapionis, ſi quæ eſt, uti Autor putat.

§ 12. Quærit de lege, quæ lata eſt de uſucapione & præſcriptione, an etiam ad imperium per interpretationem extenſivam trahi poſ-

poſſit. Et quæſtionem hanc nullius momenti eſſe de Imperio Civili ex politicis apparet: non enim imperium civile analogiam quandam hac in re cum dominio habet. De herili verò imperio diſputari poſſet, quia ſimilitudo quædam cum dominio intercedit. Sed cùm leges de Jure privato & publico latæ diſtinguendæ ſint ab invicem, nec confundendæ, meritò de interpretatione illâ dubitari poteſt.

§ 14. Ad ſervitutem nulla vel expreſſa vel tacita voluntas ſufficit, præſertim, ſi eam præcedat metus; quia voluntas metu extorta admittit reſtitutionem in integrum.

Cap. V.

Generatione.] Generatione jus dicit parentibus acquiri in liberos. At monendum hic eſt, fortaſſe hoc jus non propriè dictum eſſe, licet per analogiam quandam ita vocari poſſit. Uti verò non facilè quis aſſereret, producto homine in hanc lucem, animam ſibi acquirere aliquod Jus in corpus, ut ſingula ipſius membra directioni ejus ſubjaceant: Eodem fortaſſe modo haud commodè pater dicetur jus ſibi per generationem acquirere in liberos; quia liberi pars quædam patris ſunt. Quemadmodum enim mens dirigit corpus patris, ita eadem liberos quoque ejus; nec differentia eſt, niſi quod liberi ſint à corpore patris quid ſepa-

ſeparatum. Hocque & in matre procedit, quoad ea quæ matri regenda competunt in familiâ: potiſſima enim directio eſt à patre velut capite.

§ 2. Tradit Autor tria tempora in liberis ſpectanda eſſe: primum, quando ob defectum rationis pater eſt ratio liberorum & liberi velut pars ipſius ab illo ſeparari nequeunt. ſecundum perfecti judicii, quando filius manet in familiâ, nec adhuc ſeparatus eſt. Sed hoc præter naturam eſt: accedente enim ratione propriâ, per naturam jubetur filius ſeparari, nec æquè pars patris amplius exiſtit. Tertium, quando deſinit pars patris eſſe; at hoc naturaliter fieri cenſemus, ſtatim ac ratio accedit: adeò ut ſi poſtea in familiâ vivat, magis ut hoſpes & amicus, quàm pars ſit. Naturaliter ergò tria tempora conſtituenda non erunt.

In primo tempore] Dicit in primo tempore, actiones omnes ſub dominio parentum eſſe. At modus hic loquendi accuratus non eſt: licet enim ratio patris dirigat corpora liberorum, non tamen dominus liberorum pater eſt, quemadmodum ſervorum, qui quicquid ſunt domini gratiâ ſunt. Quin pater quoad directionem liberorum gratiâ eſt principaliter, eorum ſalutem quærens, pro quo officio liberi ſummum amorem rurſus eidem naturaliter debent.

Eſt tamen eo] Liberi ſunt domini rerum pa-

ternarum viventibus adhuc parentibus, ſed non ex jure gentium voluntario, uti Autor ſuprà docuit; verùm propterea; quia illorum gratia cuncta à parentibus acquiruntur. *l.* 11. *de liber. & poſthum.*

§ 3. Quod ſecundum tempus concernit, quando filius jam eſt maturæ ætatis, & prudentia ſufficienti inſtructus, ut præeſſe familiæ queat, in familiâ tamen patris vivit, nihil naturaliter dici poteſt, quia naturæ juſſu emancipari & extra familiam vivere deberet. Certum autem eſt ſummum honorem eum debere parentibus, adeò ut quicquid ad ſalutem eorundem & familiæ facit, anxiè quærat. Et cùm hæc dependeant ex Jure amicitiæ, quod in benevolentiâ, non coactione, conſiſtit; rectè ſtatuit Autor, non irritum fieri quod contra actum eſt.

§ 4. In ſecundo tempore Jus coërcendi parentibus non conceſſerim; quia hoc ex defectu rectæ rationis liberorum competit parentibus, ut quemadmodum ſuos affectus domare ſolent, ita & liberos caſtigent: poteſt enim quis ſibi ipſi vim addere coactivam. Id quod in perfectæ ætatis liberis locum non habet; quia hoc eorundem ratio in iis præſtare debet.

§ 5. *De gravioribus autem*] Quouſque extendenda ſit licentia puniendi in parentibus, ex iis quæ præmiſimus apparet: quod enim circa

pro-

proprium corpus faceret, qui deſideraret affectus ſupprimere vehementes & rationi repugnantes, id in liberis faciendum eſt.

§ 6. Quomodo verò oppignorari & vendi poteſt, quod æſtimari nequit? neque enim liberi ſunt inſtrumenta vitæ, quæ ex uſu recipiunt æſtimationem. Eò verò poteſtas patris ſe extendere nequit, ut ex liberis hominibus ſervos efficiat: quemadmodum enim naturaliter turpe eſt de ſemetipſo vendendo paciſci, nec ob turpitudinem pactum illud vim habet, uti pluribus infrà tradetur; ita nec liberos, quorum gratiâ pater eſt, vendere poteſt.

§ 7. Romanorum poteſtatem in liberos à barbarie originem traxiſſe extra dubium eſt: hoc enim barbarorum proprium eſt, ut liberos à ſervis diſtinguere nequeant.

§ 8. Jus ex conſenſu in perſonas, aut ex conſociatione venire ait, aut ex ſubjectione. At non video, quomodo hæc contradiſtingui poſſint, quia inter eas perſonas, quarum alteri in alterum jus competere ex ſubjectione dicit, quoque conſociatio eſt: uti & inter quas conſociationem intercedere tradit, quandam ſubjectionem ipſe introducit maritum faciens caput uxoris.

Conſociatio maxime naturalis] Societas conjugalis maximè naturalis eſt, quia & bruta ducuntur ad hanc, ob id quod cunctis vegetabili-

bilibus innatus ſit appetitus, quâle ipſum unumquodque eſt relinquere aliud.

Sed maritus] Eleganter declarat Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit. cap.* 12. Imperium hoc, quod marito competit in uxorem, illudque contra diſtinguit imperio in liberos. Dicit enim ſimile eſſe politico imperio ubi viciſſim imperant; non enim tantam ibi inæqualitatem eſſe. Imperium autem in liberos regio ſimile facit: ibi enim major eſt inæqualitas. Ex quibus appatet, imperium mariti in his conſiſtere, ut ipſius conſenſu & conſilio ſingula mulier faciat, quæ ad familiam pertinent.

Ideo de domicilio] Cum maritale imperium ſit inæqualem: conſilium audire debet maritus uxoris in iis rebus, quæ ad eam pertinent. Quare nec ſolus, non auditâ uxore, poteſt eligere domicilium.

Conjugium igitur] Dicit conjugium naturaliter eſſe cohabitationem talem quæ fœminam quaſi ſub oculis & cuſtodiâ maris conſtituit. Quòd ſi pro definitione habet, monendum erit, eam non eſſe ſufficientem; quòd reciprocari cum definito nequeat; ſequeretur enim & inter patrem & filiam, herum & heram & ancillam conjugium eſſe. Quin fieri poteſt ut conjuges, habeant plures fundos, alterique uxor alteri maritus præſit. Quid verò ſibi vult cuſtodia maris? an fortaſſe ne injuriâ afficiatur fæmina? at hoc quoque munus gerit tutor reſpe-

reſpectu pupillæ: anne pudicitia lædatur? at hoc quoque parentum in liberos munus eſt.

Nam tale conſortium] Verum quidem eſt aliquid quod in brutis cernitur, & in hominibus deprehendi: at plus eſt in conjugio, quàm in ſocietate brutorum. Autor ſolam fidem, quâ ſe obſtringit fœmina marito, requirere, & ita plenè conjugium ſubſiſtere exiſtimat. Quò verò in reliquis progredi poſſimus, & ſequentiâ examinare, definitionem talem conjugii præmittimus, quòd ſit ſocietas hominum diverſi ſexus ad procreationem & educationem liberorum.

§ 2. *Negat ab initio §. hujus*, Jus naturæ aliquid aliud exigere præter hæc quæ enarravit, & per conſequens nec aſtrictionem ad unam uxorem: quod confirmare ex veteri teſtamento velle videtur. Relictâ diſputatione circa ea, quæ ex ſcripturâ ſacrâ hac de re proferri poſſunt, tantum per rationes ex principiis naturæ petitis iſta examinabimus: Ac polygamiam Juri naturæ non repugnare hoc argumento videtur probari poſſe:

Quo finem ſocietatis conjugalis feliciter obtinemus, id quoque in ſocietate ea juſtum eſt: [unumquodque enim in qualibet ſocietate eſt juſtum, quo finem illius ſalutariter conſequimur.]

At ſi unus maritus plures ducat uxores finem matrimonii felicius conſe-

qui-

quimur, procreationem nimirum ſobolis. Ergo.

Verùm minor hujus ſyllogiſmi falſa eſt, quia matrimonium, non nudæ procreationis gratiâ eſt, ſed potiſſimum educationis liberorum, & ut iis acquirantur & conſerventur, quæ non modò ad vitam ſed & felicitatem neceſſaria ſunt. Naſcitur enim homo animal; quod per naturam ſuam beatum & perfectum non eſt, niſi in ſocietate civili vivat: quemadmodum ergò bruta non deſerunt fœtum niſi ſibi de victu ipſe proſpicere poſſit: ita naturaliter parentes à curâ non liberantur, niſi liberi eò devenerint, ut pars ſocietatis civilis eſſe poſſint. Et cùm educatio impediatur & multa gignantur incommoda ex pluralitate uxorum, polygamiam licebit fortaſſe ex eodem fundamento diſputare, non convenire Juri naturæ. Hîc tamen monendum, non nos loqui de Juſto particulari ſed univerſali: eſtque nobis Jus naturæ hîc, quod ex virtute aut abſtinentiâ à vitio proficiſcens ſocietatem aliquam humanam conſervat; pugnans cum Jure naturæ, quod vitioſum ſeu à vitio profectum ſocietatem aliquam homini naturalem deſtruit, & ut finis ejuſdem òbtineri nequeat impedit. Demonſtrabimus ergò cum Jure naturæ polygamiam non convenire in hunc modum:

Quod ex vitio profectum ſocietatem naturalem

ralem lædit & ne debitus finis obtineri poſſit, perficit, eſt contra Jus naturæ. (Patet id ex definitione Juris naturalis).

Polygamia ex vitio intemperantiæ proficiſcitur & ſocietatem conjugalem lædit. Ergo.

Quid incommodi educationi, & acquiſitioni conſervationique bonorum afferatur, ex multitudine uxorum exemplum nobis præbent ſecundæ nuptiæ. Et neminem fore patremfamiliâs certum eſt, qui non fateatur liberis ab unâ uxore procreatis ratione regiminis domeſtici contentum ſe fore: ſi verò plures appetit, nullam aliam quam voluptatem cauſam allegabit. Apparet ergò ex intemperantiâ aut incontinentiâ oriri; quod plures quis appetat uxores. Quin & magnâ injuriâ ſexum fœmininum talis homo afficere videtur: cùm mulieres naturaliter ſint ſociæ educandorum liberorum, uti ex definitione patet. Argumentum tale eſto:

Qui ex liberis hominibus & deſtinatis ad hoc, ut ſociæ cauſæ ſint educationis liberorum, inſtrumenta libidinis propter intemperantiam facit, haud levi injuriâ afficit eaſdem.

Mulieres naturaliter ſunt ſociæ educationis acquiſitionis & conſervationis.

Ergo,

Ergo, Injuſtè ex iis conficiuntur inſtrumenta libidinis.

Ut ita ex Juſto particulari quoque proferri quid poſſit polygamiam impugnans.

§ 10. Quæſtionem movet: an conjugia liberorum ſine conſenſu parentum inita ſint irrita. Jura Romana adeò neceſſarium patris conſenſum ſtatuunt, ut ſine eo matrimonium initum, ratum non habeant, modò liberi contrahentes in patris poteſtate ſint. Sed jus hoc ortum eſt ex abuſu patriæ poteſtatis, quàm extendere parentibus licuit quouſque voluerunt: inde porrò profectum, quòd à Jure naturæ alienum eſt, ut matrimonium inire durante patriâ poteſtate poſſent: quod probo in hunc modum:

Quod facit conjuges officio parentum fungi non poſſe, à Jure naturæ alienum eſt.
Jus Romanorum hoc facit; quia quæ liberi acquirebant, parentum fiebant propria. Ergo,

Præterea jure naturæ nulli licet in matrimonio vivere, niſi ſufficienti prudentiâ inſtructus ſit ad educandos liberos, & ut familiæ imperet. Malè ergò iterum anni pubertatis in Jure Romano ad hoc aſſignati ſunt, quia non ſola facultas procreandi aptos facit ad conjugium, ſed ſufficiens virtus ad regendam domum. Ex his porrò iterum conſtat, de liberis in poteſtate conſtitutis naturaliter nos nihil demon-

demonſtrare poſſe, quatenus iis conſenſus parentum ad matrimonium neceſſarius ſit; quia naturaliter matrimonium inire nequeunt. De emancipatis ergò naturaliter quæſtio inſtitui poteſt, & quatenus conſenſus neceſſarius ſit, ita demonſtrari. Notum eſt ætate augeri prudentiam propter experientiam & hinc naturaliter ſenioribus competere facultatem conſulendi; multò magis autem tunc, quando ipſos res quodammodo concernit, quod hîc accidit; intereſt enim eorum, cui jungantur familiæ quoad affinitatem, & ex quibus conſequantur poſteros. Et hinc colligimus decens quidem eſſe & ex Jure amicitiæ fluere, ut parentes conſulantur, non tamen propterea nullum poſſe dici negotium, quod liber homo, ſui juris ſecundum rectam rationem ſuſcepit, neglecto licet officio amicitiæ, quod parentibus ob ſummam beneficium exhibere debebat.

§ 11. Irritum eſſe matrimonium cum ligatâ Autor probare vult ex dominio mariti. At maritus nullum habet dominium in uxorem, quia æquales quodammodo ſunt: unde poteſtas maritalis civili imperio comparatur. Sed objicias, prout licet civibus augere numerum imperantium, ita & mulieribus naturaliter conceſſum eſſe plures ſibi arrogare maritos, qui politico imperio præſunt, & ſalutem ejuſdem procurent. Ex his ergò apparet ratio-

tionem à nobis præcedentibus §. traditam & hic impedire, quominus mulier pluribus maritis nubere poſſit. Faceret enim hoc ex vitio ſocietatem conjugalem deſtruente.

§ 12. Rectè præmonet Autor, rem eſſe difficultatis pleniſſimam, cauſſas certas aſſignare velle, quare quædam matrimonia ex conjunctione ſanguinis prohibita ſint.

Nam quod] Rectè quoque rejicit cauſſam de latius ſpargendis amicitiis; quia ſolet magiſtratus modum amicitias propagandi ſubditorum voluntati relinquere: neque enim ad amicitiam, quæ in benevoleniâ quâdam conſiſtit, cogi homines poſſunt.

Ab hac gratulitate] Ratio, quam Autor de prohibitione in lineâ aſcendente affert, nulla eſt, quod in formâ argumentum perpendentibus manifeſtum ſit. Eſt autem tale:

Quæ perſona debet alteri, ut longè ſuperiori, reverentiam ea non cum alterâ inire poteſt ſocietatem, quæ inter æquales penè eſt, & reverentiam neceſſario tollit.

Filia debet Patri reverentiam. Ergo,

Quòd ſi ea admittimus, quæ ipſe Grotius ſuprà tradidit, mulierem ſub dominio mariti eſſe, fortaſſe reſponſio facilis erit; quia utraque perſona ſub dominio ex mente ipſius eſt. Et quid impedit, quò minus uxor maritum

filiali

filiali ſubjectione revereatur, aut cùm quilibet ſuo Jure renunciare poſſit, quò minùs pater renunciet reverentiæ quam filia eidem debet?

Illud potius] Aliquid agit, dum in naturalibus affectibus quandam quærit fugam, ſed non totum negotium complet: neque verum eſt, quod affectus noſtri averſantur & à quo abhorrent, illud ſi faciamus, deteſtandum nos committere crimen; quia fieri poteſt, ut affectibus parentes graviſſimè peccemus, ſi nimirum cum ratione pugnent. Quò ergò injuſtitiam aliquam in prohibitis matrimoniis demonſtremús, ad univerſale Injuſtum denuò confugiendum eſt: argumentamur verò ita:

Quod imtemperantiæ genus facit, ut eligamus quid à quo homines naturâ ducti communiter abhorrent, illud ingens eſt & horrendum.

At ſi quis cum eâ, quæ in lineâ aſcendente vel deſcendente eſt rem habeat, genus intemperantiæ ejuſmodi eſt &c.

Ergo. Coïtus cum iis, qui ſunt in lineâ aſcendente & deſcendente ingens crimen eſt.

Hûc pertinent Sodomitica peccata; quia videmus animantia bruta naturâ abhorrere à coïtu eorũ quæ ſunt diverſæ ſpeciei: quòd ſi ergò intemperantia vel in continentia tanta eſt, ut eâ incitetur homo ad perpetrandum id, à quo

& tru-

& truta abhorrent, pluſquam ferinus is videtur. Simile intemperantiæ vel incontinentiæ genus eſt, ſi quis eligat carnes humanas, quibus veſcatur. Ferinum enim eum hominem ob hoc rectè vocabimus. *add. Ariſt. lib. 7. Ethic. c.* 6. neque enim naturali affectu ducitur, ſed pluſquàm ferino.

§ 13. Inſtituit quæſtionem de gradibus omnibus affinitatis, & ſanguinis è tranſverſo limite. Et ſtatim concedere videtur, ſe jure naturæ prohibitionis rationem oſtendere non poſſe, dum ad ſolum præceptum divinum latum univerſo generi humano in primâ conſtitutione aut reparatione poſt diluvium confugit. Sed cum Paulus deteſtetur privignicum novercâ conjugium allegando profanarum gentium opiniones & leges de impuritate talis commixtionis, Jus quoddam naturæ hîc ſubeſſe vereſimile eſt; quod & teſtantur reliqua Autoris dicta citata, quæ crimen horrendum & deteſtandum illud eſſe aſſerunt.

Moyſes Maimonides] Rationes Maimonidis quoque nondum ſufficere videntur, ut inde ſceleris gravitatem cognoſcamus, quare & autor ad id confugit, naturam tantum ut honeſtius quiddam dictare & Materiam ita legi divinæ facere, quæ pro abominando illud crimen habet; ſubſiſtitque adeò in quâdam Hebræorum conjectura. Redeundum ergo nobis eſt ad Vitium intemperantiæ, quod ratione cir-

circumſtantiarum magis vel minus fœdum deprehenditur. Nam natura indidit omnibus animalibus appetitum, ut quodlibet cum eo quod quidem ejuſdem ſpeciei eſt, diverſum tamen à ſe eſſe novit, congrediatur id quod ex phyſicis addiſcendum. Simile quoddam circa cibum apparet: homines enim naturaliter carne humanâ abhorrent, uti & ſingulæ animalium ſpecies à carne ſuæ ſpeciei. Ob hoc ergò, quòd naturâ appetat homo diverſum, ſine quo generatio fieri nequit, horrendum illud eſt intemperantiæ vitium, quando maſculus cum maſculo congreditur. *add. iter. Ariſt. d. lib. 7. Ethic. c. 6.* Atque ut ad propoſitum veniamùs, eandem ob cauſam homines, qui ſe quodammodo idem norunt, licet ſexu differant naturaliter coïtum reſpuunt, idque eo magis, quò majorem inter ſe identitatem deprehendunt: Ideoque in lineâ aſcendente gravius crimen eſt, propter majus vitium intemperantiæ, quò ducit ad id faciendum, à quo maximè abhorrent naturaliter homines. Inter fratres ergò & ſorores matrimonium non æquè abominandum eſt, ac illud quod inter aſcendentes & deſcendentes contrahitur, quia in caſu neceſſitatis iniri poteſt, quod à primis hominibus factum teſtatur ſcriptura ſacra. Non enim ex intemperantiâ ortum eſt, cùm nullum aliud medium eſſet, propagandi genus humanum. Quemadmodum enim intemperans non eſt, qui

qui caſu neceſſitatis carnibus veſcitur humanis, ſi aliter ſubſtantiam ſuam conſervare nequit: ita & ſi ſpecies humana interitura ſit, ad cujus conſervationem naturaliter homo ducitur, non intemperans dicendus erit qui tali jungitur mulieri cum quâ coire aliàs abhorret, & ſi ex libidine faceret, intemperans diceretur. Si ergò extra caſum neceſſitatis ineatur matrimonium inter fratres & ſorores, cum jure naturæ pugnare ita probabo:

Qui ſine neceſſitate coitum appetunt cum eà perſonâ, cujus Coitum naturaliter abhorrent, illi ex inordinato amore & vitio intemperantiæ peccando in circumſtantiâ circa quid, hoc faciunt.

Aucto humano genere frater & ſoror matrimonium inire volentes talem appetunt coitum, à quo naturaliter abhorrent; norunt enim ſe in uno patre convenire & idem eſſe. Ergo.

Sed quia non æquè ſunt idem ut Parentes & liberi, minor etiam eſt turpitudo. His accedere poſſunt aliæ circumſtantiæ ratione reverentiæ, quarum Autor mentionem facit § 2. augentes quodammodo vitium. Atq; hæc ratio videtur, quare in conſanguineorum matrimoniis prohibendis Legislatores ad conſobrinos progrediantur; quia frequens eſt, nepotes neptesve avum noſſe, atque adeò cernere, in quo conveniant; unde propter identitatis cogni-

gnitionem coitum naturaliter reſpuunt ; in reliquis ubi ceſſat identitatis cognitio, propterea quia ignorant eum in quo conveniunt, nihil illicitum & inordinatum deprehenditur ; quia dici nequeunt per inordinatum affectum aliquid commiſiſſe. Hinc rectè hodiè noſtris moribus ad tertium gradum canonicum inæqualem prohibita ſunt matrimonia ; quia euſque plerumque cognitio identitatis procedit. Ita nepos Titii proneptem ejuſdem uxorem ducere nequit, quia novit in avo ſe cum eâ convenire. Ad pronepos proneptem habere uxorem non prohibetur ; cum proavum noſſe vitæ brevitas vix aut rariſſimè admittat.

§ 14. Quod *præcedenti* §. de conſobrinis demonſtravimus, multò magis procedit in lineâ collaterali inæquali graduque tertio civili. Ratio vero quam Autor aſſignat, quare ducere amitam vetitum reperiatur, filiam verò fratris non item, admodum lubrica eſſe videtur & merum Hebræorum figmentum. Dicimus potius, licet in utriſque matrimonium naturaliter prohibitum ſit, fieri tamen poſſe, ut quibuſdam legibus civilibus facilius conjugium cum fratris filiâ, quàm cum amitâ & materterâ concedatur. Nam amitæ & materteræ Jure naturæ obligamur ad reverentiam exhibendam, cum ætate plerumque ſint majores: contrà fratrum filiæ reverentiam nobis de-

bent & plerumque ætate minores ſunt: unde & facilius imperio maritali ſubjici poſſunt; quia mulieres naturaliter in conjugio ætate minores eſſe convenit.

Certè canonibus] De Affinibus ſeu perſonis ob conjugium duarum perſonarum conjunctis, verbi gratia, ſorore uxoris defunctæ, aut fratris mei defuncti viduâ, nihil penè habemus, quod ex jure naturæ dicamus. An fortaſſe dolor defunctorum cognatorum fratrum ſororumvè nos repellere deberet? quemadmodum videmus accipere, ut ne quidem defunctorum veſtimenta relicta ſine ſummo dolore aſpicere poſſimus. Quòd ſi ergò inordinato amore quis ita inſenſus ſit, ut præ intemperantià dolorem illum non percipiat, turpe quiddam committere videbitur.

§ 15. Dicit Jure naturæ inter liberum hominem & ancillam conjugium eſſe, ſi fœmina ſit ſub cuſtodiâ viri & fidem dederit. Sed oppidò fallitur: uti nec verum eſt, quòd putat concubinatum oriri, quando effectus quidam naturales aut civiles matrimonii â lege civili impediuntur; quia diſtinctio matrimonii & concubinatus in ipsâ naturâ fundata eſſe videtur. Nam in cohabitatione liberi hominis cum ancillâ matrimonium non eſt, quia ancilla non concurrit ad educationem liberorum, item acquiſitionem & conſervationem eorum, quæ ad vitam aut ad beatam vitam ne-

neceſſaria ſunt. Unde materfamilias non ſit, utpote quæ ad cohabitationem non adſumpta ſit in eum finem, cujus gratiâ matrimonium eſt, ut ſcilicet liberi educentur, ſed ut inſerviat rei venereæ, ſitque inſtrumentum complendæ libidinis: quare nec liberi nati filii aut filiæ-familias ſunt ſed extra familiam: ut enim filiusfamilias quis ſit, neceſſè eſt eum à patre & matrefam. natum eſſe. Hinc colligimus Concubinatum eſſe ſocietatem, quâ mas & fœmina junguntur ad ſummum procreandorũ tantum hominum cauſsâ, ſeparatâ ſocietate, quæ inter patrem & matremfam. eſt; adeoque præterea nihil habere, quàm quod in beſtias cadit, eo verò quod hominum proprium eſt deſtitui. Quare fit concubinatus, ſi aut mas & fœmina ſimul inepti ſint ad matrimonium, ut educent liberos ad felicitatem civilem; quando ſcilicet ſervus & ancilla ſocietatem procreandi liberos iniunt, quod contubernium jure Romano vocari ſolet; aut quando fœmina ob ſervitutem inepta eſt, licet mas ſit liber: non enim poteſt cum ſervâ ſocietas educandorum liberorum iniri, ſed dominus eâ tantùm utitur veluti inſtrumento libidinis; vel ut procreetur aliquid, quod tamen non ſit de familiâ. Idem accidit ratione dignitatis, ut mulier propter ignobilitatem non poſſit admitti ad imperium familiæ cum marito ſuſcipiendum. Exemplum eſt, ſi Princeps hodiè ignobilem ducat,

licet benedictio Sacerdotalis accedat; naturaliter enim matrimonium non eſt, ſed concubinatus. Quia ob ignobilitatem ejuſmodi, fœmina concurre nequit cum Principe ad familiam regendam. Idque & Jure naturæ videtur procedere, quia inter homines tanta differentia ob excellentiam virtutum eſſe poteſt, ut etiam deſinat amicitia, quæ fundamentum eſt ſocietatis conjugalis. *add. Ariſt. lib.* 8. *Ethic. c.* 9.

§ 16. Cum *l. non dubium* 5. C. *de* LL.] actus omnes, quæ contra leges ſunt jubeat irritos haberi, licet lex ipſa hoc non expreſſerit; meritò Autor quærit an & in matrimonio id ſemper ſit obſervandum. Et quia leges aut ſunt de civilibus aut criminalibus, & criminalia pleraque talia exiſtant, ex quibus damnum alteri infertur; ſequitur, ex actibus prohibitis producta negotia ſubſiſtere non poſſe; quia damnum non ceſſabit, niſi quod actum eſt tollatur. In matrimoniis verò, quia prohibitio ſolum vitium intemperantiæ aliquando ſpectat, ex quo ipſa ſocietas naturaliter deſtructionem non patitur uti ex *præced.* conſtat, non neceſſe eſt actum tolli. Et hoc eſt, quod dicit Autor, ſæpè indecentiam eſſe majorem in actu quàm in effectibus. Alia enim crimina aggravantur per damna, quæ inde inferuntur, alia per ipſam vitii fœditatem, quando nimium à medio receditur, licet damnum inde emergens grave non ſit, aut fortaſſe nullum: & hîc negotium

tium quandoque ſubſiſtere admittunt leges, licet ipſum actum prohibeant & puniant.

§ 17. Conſtat ex familiis ſocietatem fieri civilem, quam perfectiſſimam Ariſtoteles exiſtimat; ex civitatibus populum ex populis iterum aliam, quam ſi omnes inirent, fortaſsè foret illa perfectiſſima quam natura intendit.

Habent autem omnes] Societas unum quiddam eſt ex diſtinctis modò æqualibus, modò inæqualibus compoſitum facultatem aliquid agendi habens: In omni autem agente ex diſtinctis compoſitio, eſt quiddam imperans quod principium motus ſingulis partibus exiſtit; niſi enim certum & unum eſſet, quod dirigeret, temerè quævis à quâlibet perficerentur parte, nec eſſet unitas, totumq; tolleretur. In ſocietate ergò humanâ, quæ ex partibus rationalibus eſt compoſita, illud, unde actiones ejus fluunt, eſt ea pars, quæ prudentiâ pollet, & ſi plures ſint prudentes partes, ea quæ prudentiſſima eſt. Hinc fit, quod in Societate æqualium major numerus præpolleat; quod enim à plurium prudentiâ proficiſcitur, majorem opinionẽ prudentiæ habet. Si inæquales ſint ſingulæ partes ſocietatis, fieri poteſt, ut voluntas unius aut paucorum dirigat eandem, obligetq; adeò majorem numerum. Eſt ergò debile argumentum, quo Autor in omni ſocietate majorem partem obligare ſingulos ſtatuit petitum à præſumptâ voluntate ſocietatem ineuntium.

§ 18. *Sic & poſſeſſor*] Obſcurus hîc eſt Autor adducens exemplum de poſſeſſore. *add. cit. textus problemat. ſect.* 29. *quæſt.* 13. Quod tamen parum moramur. Vero, ratio quare poſſeſſor rem retineat, donec dominus probarit dominium, hæc eſt; quia poſſeſſor opinionem domini habet, præſumiturque dominus eſſe, donec contrarium manifeſtè ſit probatum.

§ 21. Intelligenda hæc ſunt de ſocietate, quæ æqualibus conſtat: ubi enim ſunt inæquales attenditur proportio menſoria, uti ipſe Autor paulò pòſt § 23. loquitur.

§ 23. Societatem civilem propterea quis perfectiſſimam cùm Ariſtotele poſſet dicere, quia ſola ea finem ultimum hominis, quem in hâc vitâ conſequi poteſt, intendit, nimirum operationem ſecundum virtutem perfectiſſimam. Quia verò Priami calamitates evitari commodè non poſſunt, niſi civitates in imperia, & hæc porrò in univerſalem ſocietatem coëant: apparet ſolâ civili ſocietate gaudentes vix felices nominari tutò poſſe: fatente id quodammodo Ariſtotele ipſo, *lib.* 1 *Ethic. c.* 11.

§ 26. Subjectionis privatæ nobiliſſimam ſpeciem facit arrogationem, quando ex lege & inſtituto non naturaliter quis fit filius alicujus: de arrogatione ejus qui patrem non habet dubitari poteſt, an jure naturæ procedat: ſi enim adultæ

adultæ ætatis eſt filiusfamilias ſubſiſtere ea nequit: ſi minorennis conſentire in ſocietate non poſſe videtur. Pater verò ut filium ſuum det alteri & ſe abdicet muneri paterno, naturalis amicitia non admittit. Deſcendere ergò ex ſolo Jure Romano adoptionem, nec in Jure naturæ fundatam eſſe inde quis colligeret.

§ 27. Conventio de ſubeundâ ſervitute, ut turpis, nullius eſt momenti. Jus enim naturæ æſtimat ſervum ex uſu rationis, quo deſtitutum ſubjicit dominio & rationi alterius. Nec ejuſmodi conventio pro contractu ut operæ præſtentur pro alimentis, commodè habetur; hæc enim liberorum magis eſt hominum: ſed ex accidenti debentur ſervo alimenta, quia homo eſt, nec ut inſtrumentum patriſamilias inſervire poteſt, niſi alimenta eidem ſuppetant.

§ 28. Quanquam aliàs dominus ſuis inſtrumentis vitæ abuti, & illa perimere poſſit, non tamen hoc jus in ſervum competit; quia huic inſtrumento accidit hominem eſſe, quem propter univerſalem cognationem occidere temerè non licet. *Ariſt. lib.* 8. *Ethic. c.* 13. *& lib.* 1 *polit. c.* 6.

§ 29. *Ponamus*] Quia nemo ſeipſum in ſervitutem addicere poteſt, multò minus liberos ſuos; Quod verò attinet quæſtionem, an nati ex ancillis accedant dominis velut nata ex ju-

mentis: videtur naturaliter id ita ſe habere, donec conſtet de liberali ejus, qui natus eſt, ingenio: tunc enim Juri naturæ conveniens eſt, ut manu mittatur. Pro hoc verò beneficio, quod eum dominus aluerit & manu miſerit operas & reverentiam, velut patrono ſuo exhibere tenetur.

CAP. VI.

TRadit Autor omnem acquiſitionem derivativam fieri, vel facto hominis vel legis: Nos ita procederemus: Omnis acquiſitio fit vel lege vel Jure naturæ; & lege vel privati domini (poteſt enim quilibet dominus rei ſuæ legem dicere, quæ accipientem dominum conſtituat) vel publicâ tantum.

Homines rerum] Demonſtravimus ſuprà Jus naturæ exigere dominia rerum, quò ſinguli ſingula curent & omnia inſtrumenta perfectè elaborata inſerviant hominibus: adeoque neceſſariam eſſe commutationem, ut ea, quibus ſinguli abundant, aliis tradant, recepto alio quod neceſſarium eſt ad vivere, vel bene vivere. Argumentum tale eſt:

Quod facit ſingulos habere inſtrumenta vitæ vel beatæ vitæ probè exculta & ſufficientia, reddit humanum genus beatum, adeoq; ejus obſervatio Juris naturæ eſt.

Si ſinguli ſint certarum rerum domini, & commutent ea quibus abundant, omnes homines

homines habebunt inſtrumenta vitæ perfecta & ſufficientia. Ergo.

Ex his patet Juris naturæ eſſe, ut quilibet paterfam. facultatem habeat legem dicendi rei ſuæ,ex quâ, illa ejus fiat,cujus eam eſſe voluit. Et ne cui inſolens videatur, quod poſſe quem rei ſuæ legem dicere dixerimus, locutus ita eſt Ulpianus *l.* 1. *ff. de ſolut.*

In dante] Ad omnem legem requiritur promulgatio, quoad notitiam aliorum perveniat: neceſsè ergo eſt, alienaturum exprimere mentem, & quid velit dicere verbis aut facto declarare, (ad exemplum Juris publicè conſtituti, quod vel ſcriptum eſt, vel moribus introductum.)

Vt verè traditio] Traditionem puto actum eſſe,quo alter finem imponit actibus, quos ex facultate dirigendi exercere circa res poteſt, alter verò eos incipit: & niſi talis actus interveniat, neceſſe eſt dominium nondum eſſe tranſlatum, licet à domino de transferendo, dominio lex dicta fuerit. Argumentor ita:

Qui adhuc habet facultatem exercendi actum dominii circa rem,non plenè deſiit eſſe dominus.Qui nondum rem tradidit, habet adhuc facultatem exercendi actum dominii,(cuſtodit enim & tenet eandem ut alteri porrigat.) Ergo.

Ut ergò quod in rei veritate eſt dicamus: quando lex dicta eſt à patrefamilias, ut res

ſua alterius ſit, fit ea quicquid eſt illius, & conſequitur is dominium, ſed actu primo tantum, & per conſequens imperfectè non plenè: traditio addit actum ſecundum, perficitque id quod promulgatione legis à patrefamil. factâ inchoatum eſt. Hinc intelligere eſſentiam poſſumus ejus, quod ICti dominium tradendum vocant. Res enim Titii, cui legem dixit, ut Mævii eſſet, quicquid eſt Mævii per illam legem fit, ſed ante traditionem Titius facultatem dirigendi, adhuc habet, non omnem quidem, ſed hanc tantum, ut Mævius actum ſecundum conſequatur dominii: ex lege enim ſuâ, quam ipſe dixit; reſtringitur facultas ipſius, quam Jure dominii habet ad hunc actum. Jure ergò naturæ alienatio perfecta ſine traditione non ſubſiſtit. Unde traditio in alienatione eodem Jure eſt neceſſaria. niſi fingas conſtitutum poſſeſſorium, ut dominus, poſtquam legem dixit, recipiat ſe velle procuratorem accipientis fieri & ita, ut dominus ſibi ipſi velut procuratori ad cuſtodiam eandem tradere, *l. Quod meo.* 18. *ff. de Acquir. Poſſ.* quod tamen locum non habet, niſi id expreſsè actum ſit. Hoc autem nihil contra nos facit, quia traditionem neceſſariam eſſe confirmat.

Actus autem voluntatis.] Per voluntatem rationalem intelligit appetitum cum conſilio, quem *proæreſin* Græci vocant. Ratio eſt, quia omnis

omnis lex à prudentiâ proficiſci debet & conſilio: qui autem alienat legem dicit ſuæ rei, cujus ea eſſe debeat.

§ 2. In accipiente quoque ſcientia requiritur, & ut initium faciat exercendi actus dominii; quod fit, quando rem in cuſtodiam recipit, aut recipi curat.

§ 3. Imperium nullum in dominio alicujus eſt. Sed omne imperium vel eſt ſine territorio immediatè in perſonas, & vel civile; quod alienari nullo modo poteſt, uti ex ſingulis conditionibus bonarum formarum colligere licet; vel herile, ſub quo qui vivunt ſervi ſunt, & ab imperantibus poſſunt, ut numerus ſervorum alienari. Quando verò territorio adhæret imperium, ut is, qui dominus eſt territorii, unà habeat adhærentem Juriſdictionem cum imperio, quod civile poteſt fieri, ſi is cujus territorium eſt ſecundum leges imperare teneatur; ex accidente, quod civile quodam modo eſt, imperium alienari poteſt, quatenus cum alienato territorio transfertur. Quamvis & accidat, ut Juriſdictio per ſuperiorem interdum à territorio ſeparetur, quandoque jungatur concedaturque inferiori, & pro hoc beneficio aliquid ſolvatur.

Quale uſufructuarius] Quid de hac Autoris opinione ſentiendum ſit, ſuprà dictum eſt *lib.* 1. *c.* 3. § 11.

§ 4. In alienatione partis ſpectanda eſt ſubditorum libertas, qualis ſit, & an habeant aliquam; quia herile imperium exercens, hoc quoque ſibi ſumere poteſt, ut vendat, exceptis iis quæ barbarica regna Ariſtoteli dicuntur; quæ licet herilia ſint; in volentes tamen fiunt: quâ de cauſsâ nec alienare imperans imperium, aliumque ſubditis obtrudere imperantem poteſt, deſineret enim eſſe in volentes, fieretque injuſtum.

§ 5. Parti Jus non eſt recedere à ſocietate, ſi ille ſucceſſus inſtituatur eo tempore, quando ſocietati infligitur damnum: ſi quid ex neceſſitate fit, non quidem Juſtè fit, uti Autor putat, quodque ſuprà refutatum eſt; ſed veniam meretur faciens.

§ 6. Ex iis, quæ *§. præced.* adjecimus, infertur, non eſſe majus Jus partis ad ſe tuendam, quàm corporis in partem, quia veniam tantùm pars conſequitur, licet injuſtum ſit, quod facit: nec verum eſt, quod hîc addit, partem uti Jure, quod ante ſocietatem habuit, ſi neceſſitas adigat. Sed de his ſuprà diſſeruimus.

§ 8. Hæc in genere de omnibus imperiis affirmativè vel negativè determinari nequeunt, ſed qualitas cujuſque inſpicienda. Quod & circa

circa ea quæ *ſeqq.* §. traduntur, notandum eſt.

§ 14. Succeſſio omnis fit vel Jure naturæ vel lege, & hac vel publicâ in civitate vel privatâ defuncti, hæc ultima ſpecies ſucceſſionis per teſtamentum vocatur: eſt enim teſtamentum promulgatio legum, quas paterfamilias dicit familiæ ſuæ ſeu bonorum copiæ, quis in eâ ſuccedere, id eſt, defunctum patremfamilias repræſentare, quibuſque conditionibus debeat. Hinc Nov. 22. c. 2. *Diſponat itaque unuſquiſque ſuper ſuis, ut dignum eſt; & ſit lex ejus voluntas.* Quæritur autem an teſtamentum Juris naturæ ſit. Et Autor quidem hoc affirmat, propterea quod ejus ſubſtantia cognata ſit dominio. Argumentum tale eſt:

Cujus alienationis ſubſtantia cognata eſt dominio, ea Jure naturæ competit.

Subſtantia teſtamenti (licet ejus forma ſit Juris civilis) eſt cognata dominio. Ergo.

Minorem probat, quia teſtamentum eſt alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim Jure utendi & fruendi. Hanc definitionem, licet non attendentes, quòd accidentia commixta habeat, verbi gratia, quod revocabilis ſit, & confundat teſtamentum cum quâvis aliâ mortis cauſsâ donatione, admittamus; nihil tamen inde demonſtrari poſſe oſtendemus. Ex definitione te-

ſtamenti colligit teſtamentum dominio cognatum eſſe, quod natura dominii in facultate alienandi conſiſtat. Verùm facultas alienandi non eſſentia dominii eſt, ſed quædam ejus affectio, de quâ meritò quæri poteſt, an ſemper & quovis modo dominio adhæreat, adeò ut nunquam ſeparari poſſit. Unde circa majorem dubitatio oritur. In initio quidem hujus capitis oſtendimus quare commutando quilibet paterfamilias legem rei ſuæ dicere poſſit, ut fiat alterius: ſcilicet niſi hac facultas ei concedatur, orietur indigentia, nec ſocietas hominum conſiſtere poterit: hûc refero etiam donationem; ut enim captemus amicitiam alterius, quâ indigemus, licitum erit rei noſtræ legem dicere, ut ipſius fiat & ob argumentum ſubſtantiæ ejuſdem benevolentia in eo vel excitetur vel augeatur. An verò & eouſque ſemper extendenda ſit poteſtas domini, ut & rebus ſuis legem poſt mortem dicere queat, adhuc meritò dubitatur. Olim apud multas gentes nullum fuiſſe teſtamentorum uſum, ſed ad liberos & cognatos bona devoluta ex hiſtoricis cognoſci poteſt. Teſtatur id de Germanis Tacit *lib. de moribus Germ.* de Athenienſibus Plut. *in vitâ Solinis*. Et teſtamenti factionem Juris naturæ non eſſe, inde videtur conſtare, quia adimit bona iis quibus naturaliter debentur. Si enim teſtator liberos habet, naturaliter ea ſunt liberorũ; ſi agna-

tos,

tos, videntur iiſdem quæ defunctus habuit quoque deberi, uti *ſeq. cap.* dicetur. Quod ſi quis objiciat, agnatis ea tantum competere bona, quæ à majoribus ad defunctum delata ſunt; in recens acquiſitis aliter ſerem habere. Huic ita reſpondebimus: ponamus, licet non concedamus, hoc modo acquiſita non deberi agnatis, circa ea tamen, quæ à majoribus profecta ſunt, non videtur teſtamentum confici poſſe. Præterea, cùm interſit Reipublicæ non nimis alios diteſcere, alios in paupertatem redigi: quod tamen, ſi teſtandi facultas cuilibet concedatur, facilè eveniet, dum divites & potentes heredes nominant qui teſtantur, quando, dum vivunt, aliquid commodi per hoc ſe poſſe impetrare putant. Ergo contra Jus naturæ teſtandi facultas eſſe videtur, quia ſalutem reipublicæ impedit. Ex his tamen diſputatis non ſufficienter probari videtur, facultatem teſtandi omninò contra Jus naturæ eſſe. Licet enim naturaliter quæ Pater acquiſivit ſint liberorum, nihilominus penes patrem eſt facultas dirigendi ea in liberorum commodum adeoque ipſis diſtribuendi: Injuſtè ergò facultas legem de diſtribuendo acquiſita bona inter liberos dicendi patri denegari videtur. Si nullos habeat liberos, & ipſe acquiſierit quædam bona; pro diverſo Reipubl. ſtatu Jus teſtandi eidem modò non competere concludendum eſt: licet enim quarun-

rundam formarum interſit, non tamen forTaſſe omnium intererit teſtamenta non fieri. Ubi enim virtuoſi & prudentes homines ſunt, facient diſtributionem ita, ut Reipubl. forma non lædatur. Nec forma eſſe ratio videtur, facultatem teſtandi denegandi hominibus, quòd morientes in nihilum redigamur, adeoque domini eſſe deſinamus. Nam bona quæ acquirimus nobis, etiam amicorum gratiâ acquirimus; cum enim amicus ſit alter ego, dum mei gratiâ quid facio, etiam ipſius ſimul feciſſe videor. Injuſtum autem eſt, eum qui amicorum gratiâ quid fecit, non habere facultatem diſponendi & legem dicendi, cujus, quod laboribus acquiſivit, eſſe velit.

Cap. VII.

§ 2. Per legem naturæ eam intelligere ſe ait, quæ ex ipſâ dominii naturâ ac vi ſequitur, & hanc in expletione Juris & ſucceſſione conſiſtere dicit. Expletionem vocat, quam nos ex Autore retributium Juſtum appellamus, quod conſiderat, quantum pro quolibet dandum. Cæterum unde commutationes oriantur, oſtendimus *init. præced. cap.* 6. Reliqua ex principiis noſtris ſuprà poſitis perſpicua ſunt.

Quod ſi ii quidem] Neſcio an admitti hoc poſſit propter autoritatem Judiciorum: ita enim

enim quivis improbus ſub tali prætextu rapere aliena ſibi poſſet.

§ 3. Succeſſio in bona alterius vel ex Jure communi eſt ſive naturæ ſive legitimo, vel ex voluntate patrisfamiliâs; Illa ab inteſtato vocatur, hæc per teſtamentum. De ſucceſſione ab inteſtato admodum frigidè Autor hîc philoſophatur, dum eam vult colligere ex præſumptâ voluntate defuncti. Si enim hoc verum eſt, omnis ſucceſſio ex lege & voluntate erit, nulla ex Jure naturæ, cùm tamen Juris naturæ, eam *præced.* §. fecerit. Multa verò abſurda ex ſententiâ ipſius ſequi videntur: ſi enim omnis ſucceſſio vel ab expreſsâ, vel à præſumptâ voluntate defuncti deſcendit, nulla dabitur naturaliter ſucceſſio contra defuncti voluntatem, nec querela inofficioſi locum Jure naturæ habebit; cùm tamen ipſe Autor §. 4. *ſeq.* Saluſtium citet, qui teſtamentum, quo filius excluditur, impium pronunciavit: at impium non erit, ſi à voluntate teſtatoris omnis ſucceſſio petenda eſt. Neceſſe ergò eſt, eſſe Jus quoddam naturale, ex quo præter voluntatem defuncti de ſucceſſione pronuntiamus, quod inquirendum nobis erit; idque & ex mente Autoris, qui dicit, credi in dubio id quemq; voluiſſe, quod æquiſſimum eſt & honeſtiſſimum: eam ergò & æquitatem & honeſtatem indagare operæ pretium erit. Quin imo § 5. cum Papiniano ſtatuit, ob præciſum debitum

tum naturale liberis hereditatem deberi, non ex nudâ aliquâ conjecturâ. Et quomodo liberi præteriti poterunt dici exheredati, niſi naturâ iiſdem hereditas debeatur? Demonſtrabimus ergò, Succeſſionem in bona paterna Jure naturæ liberis competere, quod & tradit *l.* 7. *pr. ff. de bon. damnat.* Nov. 1. *præf.* § 2. Demonſtratio hæc eſt:

Quorum cauſsâ bona omnia acquiſita ſunt Jure naturæ, iis poſt mortem acquirentis eodem Jure debentur.

Liberorum gratia bona paterna ſunt acquiſita. *Paul.* 2 *Corinth.* 12. *verſ.* 14. adeò ut viventibus adhuc patribus quodammodo domini paternorum bonorum Chriſtant. *l.* 11. *de liber. & poſth.* Ergo,

Minor per rationem quoque conſtat: ſunt enim liberi pars quædam patris, & prudentiâ ejuſdem reguntur: quâ de cauſsâ vivente adhuc eodem bona paterna ipſorum gratiâ ſunt, licet adminiſtrationem non habeant. Maſculis autem competit hereditas, quia heres eſt ſucceſſor patrisfamil. ejus perſonam repreſentans & in imperio ſeu directione familiæ ſuccedens; non filiabus, quia naturaliter capiti ſubjiciuntur, & propter ſexus imbecillitatem præeſſe nequeunt. His verò tantum competit è bonis paternis quantum requiritur ad hoc, ut honeſtè matresfamil. reddi poſſint. Et qui-

quidem, ut patres, matresfamil. liberos reddant parentes, naturâ tenentur, quando viventibus iis liberi ad debitam ætatem pervenerunt. Quòd ſi præventu mortis paternæ id fieri nequeat, ſuccedunt liberi in poteſtate patris tempore mortis exiſtentes ita, ut maſculi capita familiæ reddantur, adeoque in Jura patrisfamil. defuncti ſuccedant; fœminæ verò tantum conſequantur, quantum ad alimenta & dotem ratione dignitatis neceſſarium eſt.

§ 4. Rectè Autor diſtinguit debitum, quòd nimirum aliud oriatur ex Jure expletorio, ſeu uti nos loqui conſuevimus, ex Juſto retributivo, aliud verò laxius ſignificet, id quod niſi inhoneſtè omitti non poteſt. Hoc ut pateat, dicimus debitum, quòd parentes alere cogantur liberos, ex Juſto univerſali eſſe. Ratio hæc eſt, quia omnia animalia à naturâ ducuntur ad alendum id quod procrearunt, quem naturæ impulſum homines etiam percipiunt, ut & Autor hîc pluribus oſtendit: neceſsè ergò eſt, nimis avarum eſſe, qui non dat, ad quod dandum ipſa natura eum trahit & impellit.

Qui dat formam] argumentum iſtud huc non ſpectat & ex nimis generali fundamento petitum eſt. Verum autem eſt, parentes ex ſe natis teneri proſpicere de his, quæ ad vitam humanam, id eſt, naturalem ac ſocialem,

ad quam naſcuntur homines, ſunt neceſſaria: quod ſuprà demonſtravimus. Et ad hoc ulterius demonſtrandum nobis anſam nunc Autor præbet: uti enim bruta non quieſcunt, quando partum, vivum ediderunt, ſed ipſi proſpiciunt, donec id ipſe facere poſſit: ita cùm homo procreet animal naturâ ſociale, eouſque opera ipſius extenditur, donec efficiat, procreatum fieri partem ſocietatis civilis, cujus pars exiſtens ipſe ſibi de neceſſariis ad vitam proſpicere poſſit.

§ 5. Liberos parentibus alimenta debere, non ita in particulari quàm univerſali Juſto quærendum eſt: ſummæ enim avaritiæ eſt, iis denegare ad vitam neceſſaria, quibus ob beneficia in nos collata, ſummum amorem & honorem, imò nos totos debemus. Hinc rectè Solon infamiâ eos notavit; quia infamia eſt opinio de vitio inhærente, ut non quemadmodum aliàs quilibet bonus & vitiis carens, ſed vitioſus præſumatur.

Quia creduntur] Imò licet non credantur ſed certò ſciantur noluiſſe hoc facere parentes; tamen liberis ſucceſſio compedit, & ſi teſtamentum confecerint, in quo liberos prætererunt, querela inofficioſi; & quidem naturaliter, quia non ſanæ mentis nec ſatis prudentes ſunt, qui negligunt & prætereunt liberos: at teſtamentum facere eſt legem promulgare: lex autem à prudentia proficiſci debet. Notandum vero

eſt,

eſt, aliquando liberos exheredari poſſe, ſi indignos ſe reddiderint, quò minus pars quædam familiæ habeantur.

§ 6. Mortuis parentibus, ſi avus & avia ſuperſint, iiſdem curam nepotum nepotiumque competere, ex *præcedenti* quodammodò colligi poteſt: uti enim natura trahit parentes ad amorem ejus, quod ex ſe procreatum norunt, ita & quod mediantibus liberis ab iis provenit.

§ 7. Præſumptam voluntatis paternæ conjecturam, quam fundamentum ponit ſucceſſionis ab inteſtato, tolli ait per indicia contraria; atque adeò ſtatuere videtur liberam eſſe parentibus poteſtatem Jure naturæ liberos exheredandi; quod falſum eſſe, jam oſtenſum eſt.

§ 8. Quare pro legitimo habeatur partus, donec contrarium probetur, ex amicitiâ eſt, quæ inter maritum & uxorem intercedit: eſt enim penes maritum electio, quâ factâ, injuriam facit uxori diffidens eidem.

Sed etſi] Tradit Autor, liberos extra matrimonium natos ſuccedere parentibus: at ſuprà diximus concubinatum per hoc à matrimonio differre naturaliter, quod liberi patrem, poſt mortem repræſentare nequeant.

Naturalis verò] In concubinatu procedit, ut quos ex eo procreavimus liberos, pro legitimis agnoſcere poſſimus; quia imperfectum quoddam matrimonium eſt, quod ex ſupervenientе conſenſu perfici poteſt. At nati ex meretrice

trice legitimari ſimili modo non poſſe videntur.

Contra] Evenit hoc ob ſplendorem familiæ conſervandum, quod in medio relinquimus.

§ 9. Verum eſt minus expeditum eſſe, quibus deferenda ſit naturaliter ſucceſſio, quando deſunt liberi: Autor diſtinguit inter bona paterna & noviter acquiſita. Bona à majoribus accepta vult redire ad eos, qui illius generis ſunt, à quo ſunt profecta: argumentum ejus tale eſt:

Prout eſt ordo in beneficiis, ita quoq; præſumendus eſt quilibet poſt mortem ſuam donare velle bona ſua aliis, & per conſequens ita ſucceſſio fieri debet.

At in beneficiis hic ordo eſt, ut primùm gratiam referamus, deindè aliis beneficium conferamus.

Quilibet præſumitur in ſucceſſionibus velle, ut ii, quorum beneficio quid accepit, rurſus id conſequantur; reliquum verò iis detur, quos ſtudet novo beneficio afficere. Quare ad bona noviter acquiſita naturaliter proximos cognatos vocandos tradit. Circa hanc Autoris demonſtrationem dubia ſequentia occurrunt. 1. De præſumptâ voluntate, quod non ſit cauſſa ſucceſſionis ab inteſtato, uti antea monuimus. 2. Quid ſi occaſione paternorum bonorum noviter acquiſita ad nos devenerunt, annon iis qui paterni gratis ſunt potius quàm aliis

aliis debebuntur? Id enim Jus amicitiæ quoque ſuadere videtur. 3. Si adminiculantibus amicis extra familiam quædam acquiſivit defunctus, annon potius iis debebuntur quam cognatis? ſi enim ordo beneficiorum in ſucceſſione obſervandus eſt, & potius eſt gratiam referri ei, qui benefecit, quàm amico conferre beneficium: neceſſe eſt hos cæteris præferri:

Unde ſequetur, malè Autorem *ſeq.* §. 10. cognatis attribuere bona noviter acquiſita, quaſi ceſſet referendæ gratiæ officium; quia multis modis accidere poteſt, ut aliis prius gratia referenda ſit, præſertim cùm ſine amicis vix quicquam feliciter peragere liceat: quantum ergò erit quod cognatis relinquitur? 4. Et hoc in Autore deſiderari poteſt, quòd non rectè procedat hereditates cum legatis confundendo. Nam aliud eſt quærere, quiſnam quaſi per donationem ex bonis defuncti aliquid conſequi debeat, aliud verò, cui in imperio familiæ ſucceſſio competat, ut defuncti perſonam repræſentet.

§. 11. Fateor varias in diverſis Rebuſpubl. eſſe leges de ſucceſſionibus ab inteſtato, quin in unâ Republ. ſucceſſu temporis ſæpè mutari. Sed hæc varietas videtur ex falſis hypotheſibus plerumque oriri. ut verò quid nobis videatur promamus; diximus ſuprà. Liberis hereditatem deberi velut partibus patris, & quorum gratiâ comparata bona paterna ſunt; & ſo-

& ſolos quidem maſculos hæredes fieri, & in familiâ ſuccedere, quia patris officium, ut familiam dirigat, ipſis ſolis competit; fœminas verò eo contentas eſſe debere, quod ſufficit ad matriſfamil. officium ſubeundum. Ubi ergò unicus eſt filius, in eo pater poſt mortem ſuam quaſi vivit, filio ipſius perſonam gerente, & patris imperium in familiâ obtinente. Quòd ſi plures ſint filii, fieri poteſt, ut unus patrem repræſentet & familiam conſequatur, reliquis per hunc tantùm obtinentibus, ut vitam ſuſtentare poſſint: ſed hoc ex placito eſſe videtur. Per naturam autem in ſingulis filiis pater repræſentatur, & cùm ſinguli in ſolidum familiæ imperare nequeant, ſed pro parte: ſingulis pro numero fratrum portio quædam familiæ decedit. Eſtque ita alter alteri impedimento, quòminus ſinguli ſolidam hereditatem conſequantur. His poſitis, neceſſe eſt, ſine liberis decedente quopiam, hereditatem ejus eos conſequi, quibus propter defunctum aliqua portio deceſſit. Nam quo poſito, cogor re aliquâ carere, eo ſublato res ad me redit. Et ita fratris hereditas ad me pertinet, quia eo exiſtente portione familiæ carere cogebar, quo ſublato ea portio, quæ antea decreverat, denuò mihi accreſcit. Eodem modo ſe res habet, ſi uno fatre moriente, plures ſuperſint; portio enim illa, quâ ob fratrem hunc exiſtentem carere cogebantur, his iterum accreſcit. Hoc

poſito

poſito fundamento, licet ex Jure naturæ de reliquis omnibus judicare, verbi gratia, ſi me moriente vivat patruus, iſque ſolus ſuperſit, is mihi ſuccedit, quia ob patrem meum exiſtentem ei aliquid deceſſit, quo caruit, & propter me, utpote qui patri ſucceſſi, me autem ſublato quare ulterius eâ portione carere debeat, ratio nulla eſt. Hinc hereditas mea ad eum devolvitur.

§. 12. Cum Autor de monarchico Imperio tractet, quatenus ſucceſſio in eo locum habeat; notandum prius cenſemus, in nullâ aliâ formâ Reipubl. æquè ſucceſſionem locum habere ac in Regno. Nam uti Ariſtoteles rectè colligit *lib.* 3. *politic. c. penult.* ad Regnum naturaliter multitudo illa apta eſt, quæ tali ingenio à naturâ eſt inſtructa, ut genus ferre poſſit præcellens virtute, quæ requiritur in gubernante civilem ſocietatem. Cùm verò regna intereant & corrumpantur has ob cauſas; 1. ſi reges potentiâ abuti & tyrannico modo præeſſe incipiant. 2. ſi in regio genere naſcantur homines contemti. 3. ſi diſſideant inter ſe agnati, & familiæ regiæ participes: meritò ergò ut ceſſent querelæ ratione ſucceſſionis in regno, Jus aliquod quærendum eſt. Difficile autem eſt per naturam illud determinare; quia & æqualitatem fratrum, neceſſe eſt diſcordias oriri; ætas enim accidens quoddam eſt parum ad rem faciens: gradus

 pruden-

prudentiæ dignoſcere & ex dignitate rem æſtimare ipſi inter ſe non poſſunt, quia in propriâ cauſsâ ſinguli judicant, & quivis de ſe optimè ſentit. Hinc tot tamque variæ leges de ſucceſſionibus in imperiis regiis natæ ſunt. Cumque porrò monarchiæ duo genera ſint, regnum nimirum & tyrannis, non dubito quin tyrannus latius evagari, & ſi familia deficiat, adoptare extraneos eiſque regni ſucceſſionem aſſignare poſſit, imò ſpuriis quoque; ſed uti tyrannis injuſta eſt in univerſum, ita nec hoc Jus quoddam in ſucçeſſionibus regiis vocare poſſumus. Non autem video quid Autor ſibi velit, quando diſtinguit inter regna, quæ pleno modo poſſidentur, & quæ modum habendi accipiunt ex populi conſenſu: an enim in his ſolis diviſio inter mares & fœminas locum non habebit? nihil enim impedit, quòminus populus certæ familiæ ob merita dignitate imperandi in perpetuum conferat, adeò ut & per fœminas propagari poſſit, & imperans liberam voluntatem diſponendi de ſucceſſione habeat.

§ 13. Statuit Autor, ſi regnum ſit hereditarium, cum hac tamen lege, ne cedere alteri Rex aut dividere poſſit, natu maximum ſuccedere, ſeu mas ſeu fœmina fuerit. At videtur ſexus præſtantia ſuperare dignitatem, quæ ex ætate oritur. Et cum imperare officium viri ſit, fœminæ imperium non habebit locum, niſi

niſi in caſu neceſſitatis, ne à familiâ & genere cui ob merita imperium promiſſum eſt, ſecedamus. Nihil autem ad rem faciet diſtinctio, ſi dicamus, aliter ſe rem habere in regnis, quæ ſunt in patrimonio; aliter in iis, ubi ex populi conſenſu ſucceſſio fit; quod enim vult Autor ex præſumptâ populi voluntate deducere, id naturale eſt in quâvis ſucceſſione.

CAP. VIII.

§ 1. AUtor Juri gentium peculiarem attribuit ſignificationem: illudque definit quod cònſenſu gentes conſtituerunt, ad mutuam inter ſe ſocietatem. Et ex hoc fundamento JCtos Romanos videtur velle reprehendere quaſi minus accuratè procedant in determinando, quid Juris gentium ſit. Verùm JCtis Romanis Jus gentium id dicitur, cujus non modò ſoli cives Romani, ſed & peregrini cum Romanis participes fuerunt. Quod ergò ipſis viſum fuit, aliis quoque quàm civibus tribuere, hoc Jus gentium nominarunt. Et ita non modò Jure naturæ illud determinarunt, ſed etiam interdum eo, quod alii vicini populi Romanis attribuerant: hoc enim aliis iterum tribuere Juſtum erat. Mirum autem non eſt, illud Jus mutari, quia in opinione conſiſtit: quod enim quælibet civitas peregrinis

tribuendum exiſtimat : id in eâ Juris gentium eſt.

Primus] Modus acquirendi per occupationem (de quo an naturalis ſit, ſupra diſputavimus) apud Romanos Juris gentium fuit, quia ut occupans ſuum faceret occupatum, id æquè peregrinis ac civilibus competebat. Quâ de cauſsâ & deportati Jus civitatis amittebant, Jus gentium retinente. *l.* 15. *de Interdict. & releg.* Videtur autem diviſio Juris apud Romanos in naturale gentium & & civile, non præter rationem eſſe tradita : Cùm enim homines pirati quà tales triplicem ſocietatem colant, eam quæ in brutis quoque cernitur, quæ propria eſt hominum omnium. tamen & tertiò civilem : erit etiam triplex Jus privatum has tres ſocietates dirigens: naturale, quod ſocietates hominum cum brutis communes; gentium, quod ſocietatem omnium hominum propriam; civile, quod eos qui in unâ civitate vivunt, dirigit. Hanc in ſententiam videtur Autor inclinare *§ ult. h. cap.*

§ 2. Rectè reprehendit Autor Nervam filium qui *l.* 3. §. 14. *de acquir. poſſ.* piſces in ſtagno nullius eſſe tradit, propterea quòd libertati naturali relicti ſint; eos verò, qui in piſcinâ ſunt, poſſideri à nobis. quaſi verò ubi laxior ſit cuſtodia, ibi & naturalis libertas relicta cenſeatur.

§ 3. Dominium omne amittimus, ſi de actu

actu ſecundo ſpes nulla ſuperſit: fruſtrà enim eſt dominium actu primo, niſi actus ſecundus ſeparatus reparari poſſit. Quod verò JCti Romani ſtatuunt, feram, poſtquam in libertatem naturalem ſe recepit, deſinere eſſe domini, id tantùm eſt ratione effectus, quòd nimirum furtum non committat, quia non poteſt ſcire eam alterius eſſe.

§ 5. Imò occupatio temeraria ne quidem locum habere poteſt, niſi lege aliquâ civili hoc cultum ſit; quia ea non Juris naturæ eſt propriè & perfectè, ſed ex hypotheſi tantùm, quatenus bona humano generi communia temerè cujuſvis apprehenſioni præter Jus diſtributivum committuntur: communia enim territorii, quando propria reddenda ſunt, neceſſe eſt, ut ſit qui ex dignitate, quod ſingulis debetur aſſignet, adhibitâ proportione geometricâ. Quod præter hoc temerè fit, injuſtum eſt.

§ 6. Monuimus ſuprà, hæc oriri ex defectu ſocietatis univerſalis in humano genere.

§ 7. Theſauri naturaliter ejus ſunt, ad quem perveniunt bona caduca, qualis eſt princeps, qui territorio præeſt: illius enim eſt diſtribuere quod ſub dominio ſingulorum eſſe poteſt.

§ 8. Rectè monet Autor, naturalia non eſſe, quæ de fluvialibus incrementis tradunt JCti Romani; nec ad hoc ut Juris gentiùm quid dicatur, quicquam facit, Juris naturæ ſit necne inquirere; quia quod Romanis omnibus

hominibus attribuendum eſſe videtur, id juris gentium faciunt.

§ 9. Ratio, quâ utitur ad probandum quod *præcedenti* §. tradidit, ſatis evidens eſt, & dependet ex Jure naturæ: populus enim territorium occupans quædam ſibi communia retinet, alia ſecundum Jus diſtributivum ſingulis partibus aſſignat. Elegans præterea eſt, quod de Germanis ex Tacito citat. *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vicos occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur.*

§ 10. Inundatio gravior, ſi ager mergatur, dominium neceſſariò mutat ibi, ubi Jus piſcandi commune eſt. Et quia Jure gentium ex opinione Romanorum jus piſcandi in ſtagnis etiam commune fuit, coacti ſunt JCti Romani ſtatuere, dominium amitti per talem inundationem, quia ager in eum redigitur ſtatum ut proprius amplius eſſe nequeat. Ubi verò jus piſcandi privatum eſt & proprium, nullum dubium eſt, quin poſſeſſio piſcando retineri poſſit. Sequentia quæ tractat Autor cùm melius ex conſuetudine locorum, quàm ex Jure naturæ decidantur, conſultò prætermittimus.

§ 16. Ad argumentum quo Romani utuntur, ut probent jus acquirendi ex alluvione, ita reſponderem. Qui ſentit incommodum, is *ex eâ re, quâ damno afficitur*, commodum, ſi quod affertur, meritò percipit. Si enim ex quâlibet aliâ

aliâ re commodum ipſi deberetur, infinita oritura eſſent abſurda. Et hinc potiùs inferre liceret, quod per alluvionem cuidam agro adjectum eſt, ei de cujus agro, quod fieri ſolet, interea quid eſt ablatum, deberi. Is enim ex eâdem alluvione, quæ damnum intulit, hoc pacto & commodum ſentiret.

§ 18. Non eſſe naturale tradit, ſi ancilla ex alterius ſervo conceperit, partum fieri domini ancillæ, non ejus, qui dominus ſervi eſt. Videntur autem JCti Romani hoc modo defendi poſſe. Nam quia ancilla quicquid eſt ſui domini eſt, velut pars ejuſdem; pars verò partis etenim eſt pars totius: ſequitur & quod id ancillæ utero eſt domini eſſe, & ejus denique, ſi ſeparatum ſit, permanere. Patri autem vel etiam domino patris nulla fit injuria, quia patris pars non naſcitur partus ex ancillâ ſeu homine cujus eſſe in hoc conſiſtit, ut ſit alterius velut pars totius. His accedit, quod dominus ancillæ alimenta præbeat, & gravidam eam ferre in familiâ teneatur, ob quod multum in re familiari ipſi decedit. Non itaque rectè dices, inter ſervos ſequi partum magis patrem quàm matrem, niſi & natum ex vaccâ, velis quoque domino tauri potius, quàm vaccæ attribuere, quod ridiculum.

§ 19. Verum omninò eſt quod tradit Autor, ſi quis in alienâ materiâ ſpeciem producit, fieri rem communem, ut pro æſtimatione

materiæ & ſpeciei quilibet dominus conſtituatur. Modò notetur, hoc tunc obtinere, ſi ſpecificator per ignorantiam ex alienâ materiâ ſpeciem ſuam produxerit: Cæterum, ſi ſciverit: aut potuerit ſcire, alterius materiam eſſe, & præſumptio fuerit, dominum alienaturum eam non eſſe, ſibi ſpecificator debet aſſcribere, quod fruſtrà quodammodo laboraverit: nec enim ſuo facto perficere poteſt, ut res alterius deſinat eſſe contra ipſius voluntatem. Quod ſi autem in communione in quam ex accidente inciderunt, perſeverare nolint, cum tamen res dividi nequeat, ei qui plus dominii habet, res tota naturaliter competere videtur, ut tamen alteri æſtimationem ſolvat, pro parte quæ eidem debetur.

§ 20. Non merè pœnale eſt, ſi ſpecificator ſciens in materiam alienam introduxerit ſpeciem, quòd eam ſuam non faciat. Si enim ſuam faceret, alter præter ſuam voluntatem deſineret eſſe dominus: ſufficere ergò ſpecificatori æſtimatio ſpeciei debet, quia ita nullum patitur damnum.

§ 21. & 22. Rectè reprehendit porrò ea, quæ JCti Romani ex lubricis deciderunt fundamentis. Natura dictitat, ſi res mea alterius rei accedat, ut ſine damno & periculo interitus nequeat ſeparari, communionem introduci. At hîc iterum adjiciendum eſt, quid obtinere debeat, ſi in communione perſeverare nolint,

nolint, aut in eâ permanere non poſſint, quod ſit quando detrimentũ ex eâdem affertur, verbi gratia, ſi quis ſuam arborem in meo ſolo plantavit, ignorans ſolum meum eſſe, in communione ſine meo damno eſſe nequit, quia ibi ego ipſe arborẽ ut in meo collocatam habere poſſem. Et quia ſolum plerumque præſtantius eſt arbore, arbor verò ſine periculo iterum erui vix poteſt, ſatius eſt dominum ſoli arboris quoque dominum conſtitui æſtimatione ſolutâ.

§ 23. Negat Autor bonæ fidei poſſeſſori Jure naturæ competere, ut fructus perceptos omnes ſuos faciat. Sed contrarium ex naturâ bonæ fidei poſſeſſoris ita probari poſſe videtur:

Qui omnia Jura domini habet, donec contrarium probetur illi competunt fructus ex re percepti.

Bonæ fidei poſſeſſor omnia Jura domini habeat (quia fecit omnia quæ facere decet cum; qui dominium ſibi acquirit; licet propter impedimentũ veri domini ipſum dominium non ſit conſecutus.) Ergo.

§ 24. Malæ fidei poſſeſſor, ſciens dominium non eſſe eum à quo rem ſibi comparavit, non fecit omnia quæ requiruntur ad dominium conſequendum, quia quantum in ſe, non à dominio emit, quod tamen aliter eſt in bonæ fidei poſſeſſore, ipſe enim ex opinione ſuâ & per ſe à domino, ex accidenti à non domino rem acquiſivit.

§ 25. De his multa ſuprà diximus: ubi oſtendimus non omninò veram eſſe Autoris ſententiam: neceſſe enim eſt, aliquid dominii ante traditionem alienanti ſupereſſe: licet enim poſt dictam legem, res ſtatim alterius gratiâ eſſe incipiat; quia tamen facultas dirigendi adhuc penes alienantem eſt, donec in alterius manum perveniat, ut is poteſtatem plenè dirigendi conſequatur: neceſſe eſt ante traditionem imperfectum quoddam dominium alienanti ſupereſſe.

§ 26. Notavimus § 1. *h. cap.* Jus gentium illud eſſe, quod omnibus liberis hominibus compedit, ſive ſint cives ſive peregrini. Cæterum licet quid peregrinis concedi debeat à naturâ petendum ſit, Romani tamen multa pro ſuâ opinione conſtituerunt peregrinis tribuenda, quæ denegari & deneganda quæ concedi potuiſſent. Exemp. gratia, Jus venandi Juris gentium fuit, peregrinis conceſſum, teſtamenti factio Juris civilis; quod noſtris moribus penè in contrarium mutatum, ut hoc Juris gentium; illud Juris civilis eſſe videatur.

Cap. IX.

§ 1. Tradit Autor præter derelictionem etiam modum deſinendi dominii eſſe, ſi ſubjectum tollatur ante alienationem vel expreſſam vel tacitam; tacitam ponit

nit in ſucceſſionibus ab inteſtato. Notavimus verò ſuprà, non eſſe alienationem ex voluntate defuncti dependentem, ſi liberi in parentum bona ſuccedant, ſed potius dominii continuationem.

Quare] Dicit nullo hærede exiſtente ſervos defuncti liberos fieri: at id naturale non eſt; quia ſervus naturaliter liber non fit, ſi amittat dominium: manet enim ſervilis conditionis, & magiſtratûs eſt, dominum eidem aſſignare; non aliter ac fera amittens dominum manet ſub dominio univerſali totius humani generis; unde denuò propria fieri poteſt.

Populi] Eadem eſt ratio populi: ſi enim ſervili ſit ingenio, per hoc quod amittit dominum, naturaliter liber non fit, ſed alterius imperio aſſignandus erit. Ac proinde, ſi Jus occupationis admittendum eſt in acquirendis dominiis, fiet ejuſmodi populus occupabilis, non aliter ac reliqua quæ hominum gratiâ ſunt.

§ 3. Elegans in hoc §. eſt comparatio ſocietatis cùm corpore naturali: ſocietas enim & potiſſimum civilis, ex diverſis partibus conſtat, quarum ſingulæ ſuum habent officium & uti in corpore humano mens eſt regens illud; ita quoque in civitate, quiddam primum eſt, à quo omnes partes moventur.

§ 4. Societas interit, ſi ſingulæ pereant partes: eſt enim ſocietas ex diverſis quiddam unū.

§ 5. & 6. Videtur Autor velle tradere in § 5. & 6. quod dupliciter intereat & tollatur ſocietas civilis. 1. Si partibus adimitur poteſtas faciendi ſocietate officium, licet ſingulæ quoad facultatem ſuam partes ſocietatis maneant: diximus enim ſuprà, naſci homines ad hoc, ut partes ſocietatis civilis ſint, quam qualitatem ſi retinent quidem, ſed externo impedimento à ſocietate abducuntur, quando verbi gratia cohabitare non poſſunt, ceſſat ſocietas, magis tamen actu ſecundo, quia ſingulæ partes ſuam aptitudinem retinent: & hoc fortaſſe Autor corporis rationem vocat. Quando verò non externum impedimentum ſocietatem civilem tollit, ſed, licet per cohabitationem facere ſingulæ partes officium non impediantur, ob vim tamen majorem hoc ipſis denegatur facultate ademptâ, ſpecies dicitur ab Autore interiiſſe; quia deciêre eſſe partes ſocietatis civilis.

§ 8. Controverſiam hîc movet, quam attigit Ariſtoteles. *lib.* 3. *polit. c.* 3. an eadem maneat civitas ſi ſtatus mutetur. Videtur enim formâ mutatâ res ipſa mutari. At ſtatus Reipubl. forma civitatis eſt. Ergo. Mutato Reipub. ſtatu, ipſa civitas mutari videtur. Hinc alia eſt civitas ſi tyrannus imperet; alia, ſi populus aut optimates. Uti enim homines ſuccedentes nihil mutationis inferunt, ita nec iidem permanentes ſi forma mutata ſit civitatem

eandem

eandem permanere faciunt. Id quod eleganter ab Ariſtotele per harmoniam declaratur, quæ ſpecie diverſa eſt, licet ſoni ſint iidem, propter diverſam ſcil. ſonorum adinvicem habitudinem. Ita licet permaneant homines iidem, quia tamen forma ſeu habitudo eorum adinvicem diverſa eſt, neceſsè eſt ſpecie diſtinctam effici ſocietatem: in habitudinem enim quâdam eſſentia ſocietatis conſiſtit.

Nam imperium] Quæ hîc repetit ex ſuperioribus ſuprà examinata ſunt.

Ita civitatis] Nullam hîc video differentiam inter ea, quæ ut diſtinctæ ſpecies ab Autore proferuntur; quid enim aliud eſt conſociatio Juris & imperii, quàm relatio partium inter ſe, earum, quæ regunt & reguntur, ſi ſpeciem ſeu formam civitatis conſideres? Nec video qualem differentiam inter politicum & JCtum introducere velit; quia politicus hoc unicè agit, ut aliquid quærat coſervans ſocietatem civilem; hoc autem in habitudine partium civilium ad invicem conſiſtit & Juſtum eſt; quod in leges redactum JCtorum ſpeculationi poſtea ſubjicitur.

Quod nec Ariſtotelem]Non dicit Ariſtoteles alterius diſciplinæ eſſe quærere, an debitũ factũ in priori ſtatu poſtea ſtatu mutato ſolvendum ſit; ſed potius hoc: ex aliis rationibus petendum

illud eſſe. Malè ergo exinde, quoòd putat Autor, civitatem eandem permanere ſi ſtatus mutetur, deducit, debitum in mutato ſtatu ſolvendum eſſe, quod contractum eſt in priori: longè enim alia ſunt fundamenta, ex quibus deciſio hujus controverſiæ facienda eſt.

Non deſinit] Quid de hac quæſtione ſtatuendum ſit, oppidò difficile eſſe, nec expediri poſſe ratione illâ videtur, quòd populus maneat idem; antea enim ex Autor explicavimus, rationem eam huc non quadrare; quia reverà civitas mutatur ſtatu ſeu formâ mutatâ. Rem ita decidendam puto: ſi populus liber cœperit aliquid debere, impoſitum eidem regem conveniri poſſe; non quidem ſtricto Jure, quia is obligatus non eſt, ſed ex æquitate: factus enim eſt ipſius populus ille qui alteri debet; non aliter ac in Jure civili, quando homine libero in ſervitutem redacto, non is ex ſuo debito convenitur, ſed dominus ad quem bona debitoris pervenerunt. *l. pertinet hoc 2. pr. l. tutelas etiam. 7. §. 2. de cap. minut.* Adeoque ſi rex aut tyrannus ſolvere nolit, invadi bona populi poſſunt. Sin monarchia mutuam ſumpſerit pecuniam, vel ex alio contractu debere cœperit; attendendum, an populi voluntate imperarit & ut monarcha debitum contraxerit; populum enim tunc conveniri poſſe mutato ſtatu nullum eſt dubium; quia generaliter in contractus ejus cenſenſit: argumento eorum,

rum, quæ de Exercitoriâ & Inſtitoriâ tradunt JCti Romani; quòd ſi verò nolenti populo imperarit; populus non tenebitur, niſi de eo quod in rem ipſius verſum eſt; quia licet non conſenſerit in debitum, non debet tamen ex damno alterius locupletari. *add. tract.noſt.de Mutuo.*

§ 10. Quæ de diviſione civitatis aut imperii tradit, intelligi poſſunt ex heredibus pluribus unius defuncti: fiunt enim ibi ex unâ plures familiæ.

§ 12. Regnum Germaniæ Imperii Romani nomine uti, Cæſareſque & Imperatores vocari qui eidem præſunt, notum eſt. Unde verò & quo Jure ad Germanos hoc tranſlatum ſit, obſcurium eſſe videtur. Hinc Autor noſter inanem tantùm titulum & figmentum haud veretur appellare: & per hoc contrarius plane eſt iis, qui monarchiam Romanam ad Germanos tranſlatam ſtatuunt, eique nullum niſi ipſum mundi finem attribuunt; quin eò feruntur, ut totum terrarum orbem Germaniæ per hoc deberi credant. Operæ ergò pretium facturi videmur, ſi de hac re & nos aliquid dicamus: Primum autem non immeritò quæras, quare totius orbis imperium Germaniæ quidam aſſignent, propter ſucceſſionem in Imperio Romano; cùm tamen conſtet nec ipſam Germaniam totam Imperio Romano paruiſſe. Fortaſsè autem quis dicet αὐξητοῖς illâ, quâ

quâ *Lucas cap.* 2. utitur, deceptos eos eſſe, cum non attenderint Euangeliſtam locutum eſſe, prout tunc temporis mos ferebat: Jactabant quippe Romani ſe dominos Orbis terrarum, Romamque mundi caput. Verùm licet falſum ſit, Romanos ſibi totum terrarum orbem ſubjeciſſe, nec jactationes Romanorum quicquam ad rem faciant: dubitare tamen quis ulterius poterit, annon nihilominus Romana gens Jure caput orbis dici meruerit, dominiumque habuerit. Quis enim negabit hominum generi dominium competere in omnes beſtias cùm tamen pleriſque nunquam actu imperarit: quid ergò mirum erit, ſi Romano populo dominium totius orbis terrarum attribuatur, quamvis omnibus populis actu non imperarit? Scil. dominium ex temerariâ occupatiòne æſtimant homines, ut quod quiſque apprehenderit, ejus dominus cenſeatur: accedit autem injuſtè eum apprehendere & dominari: ponamus beſtiam cogere hominem ut ſervitia præſtet eidem, ſanè dominium injuſtum erit, & naturâ tamen homo dominus erit, licet ſervire cogatur. Nam quod prudentius eſt, ſuo conſilio alterum naturâ dirigit ad beatitudinem vel ſuam, quod herile imperium; vel ad parentis, quod imperium civile vocatur. Cùm ergò naturaliter Juſtum ſit, inter omnes populos orbem terrarum incolentes ſocietatem eſſe, & ex iis diverſis quiddam unum fieri: (ita enim temera-

temeraria bella ceſſabunt, & feliciſſimum erit humanum genus cùm nihil ad vitam defuturum ſit) neceſſe eſt in eâ ſocietate mentem eſſe, quâ ea dirigatur. Nunc autem ſi talis mens eſt, obtinebit ea optimam terræ habitabilis partem, eritque multitudo hominum prudentiſſimorum & beatitudinis præ reliquis omnibus participum. Et contrà ſi populus his inſtructus inveniatur, ei naturaliter imperium in orbem attribuendum eſſe dicemus. (Nam refutationem non meretur negans, imperium deteriorum in meliores injuſtum eſſe.) His poſitis nemo erit, cùm Romanum imperium intuens illud in optimâ terræ parte reſidere, & in eodem florem prudentiæ, ſapientiæ, virtutum & artium ad beatitunem humanam facientium deprehenderit, quin univerſæ ſocietatis humanæ mentem dicturus ſit, partemque adeò illius imperantem; miſeroſque & infelices deprædicandos, qui imperium ei denegarunt, imò reprehendendos, quòd contra Jus naturæ peccarint, ſtatuerit. Nam quod toti generi humano ſalutare eſt, tollitque omnia injuſtitiam & vilioſitates involventia, id reſpuere injuſtum eſt. Eſſe ſocietatem inter omnes populos & mentem quandam, quæ eam dirigat toti humano generi eſt ſalutare; ita enim cuique ſecundum rationem tribuetur, quod debetur; & habebunt cuncti ad vitam neceſſaria, quæ quidem natura nobis

nobis largita eſt, è contrario bella & omnia, quæ infelix reddunt humanum genus, tollentur. Ergo. Reſpuere id injuſtum eſt. Et cùm præter Romanum Imperium nulla mens dirigens ſocietatem hanc inveniri tunc potuerit, uti ante probatum; male ſubjectio illi à barbaris denegata fuit. Ubi enim ſocietatem natura, ibi & quiddam dirigens conſtituit, id autem naturâ eſt illud, quod optimum eſt, & præ reliquis perfectum virtutibuſque inſtructum. Non obſtat, humanum genus in Rempubl. coire non poſſe. Nam non ſingulos homines ſeorſim debere coire in ſocietatem univerſalem dicimus, ſed ſingulos primò in familiam, familias in vicum, vicos plures in civitatem, civitates plures in gentem & populum; populos in illam ſocietatem univerſalem. Quare ceſſat hoc, quando dicunt tam vaſtum ſpacium ab uno regi non poſſe: neque enim qui præeſt ſingulorum curam habebit: id enim ad rectores civitatum pertinet: nihilominus tamen per eum, qui præeſt populis & ſinguli ſalvi erunt, ſi rectoribus populorum imperet. uti enim juſſa Ducis multa millia militum audiunt mediantibus tribunis & centurionibus: ita & eodem modo in hoc imperio univerſali ſe habebit. Omnibus enim hominibus ut ſingulis imperare velle res eſt quæ fieri nequit; quia hoc anguſtis admodum terminis coërcetur: neceſſe enim eſt imperantem

perantem cives noſſe & cives inter ſe cognitos eſſe. Nam niſi hoc accidat, partes Reipub. ſenatus ſcil. magiſtratus & Judicia ritè conſtitui non poterunt. Uti verò contingere poteſt, ut ſingulorum hominum (quorum ſanè haud exigua copia requiritur civilem ſocietatem eam in quâ ſinguli, ad vitam neceſſaria habeant) ingenia ſingulis cognita ſint & ſinguli in conſpectu verſentur; ita nec inter ἀδύνατα numerandum, uni imperanti populo omnium totius mundi populorum ingenia cognita eſſe. Hoc enim & geographis frequens eſt, ut populorum totius terræ ingenia & regionum proprietates enarrent. Quod verò objiciunt, politicos hiſtoricoſque Romanos de magnitudine Imperii conqueſtos eſſe, in perturbato tunc ſtatu aliter fieri non potuit, & non ita magnitudo, quàm fortaſſe defectus boni ordinis in cauſſa fuit. Facilè enim tyrannis multitudine ſubditorum infirmari poteſt, cùm ea per ſe imbecillis forma ſit. Acceſſit & hoc, quòd vaſtum illud imperium inſtar gentis unius gubernare Imperatores voluerint: Sufficit enim ad Imperium orbis magnam eſſe gentem, quæ præ reliquis prudentiâ & virtutibus præmineat, & tantæ poteſtatis ut terrori ſit ſingulis: ita enim eos populos, quibus ſit injuria ſublevare & ut quietè vivant, perficere poterit. Atque hoc ad Imperium in populos ſufficit. Quemadmodum enim Imperium in-

familiam

familiam differt ab imperio in civitatem, ita & imperia in civitatem, in gentem, in populorum ſocietatem diſtincta ſunt. Nec quicquam officit quo Jure, quave injuriâ Romani tot populos in unam congregarint gentem; ſufficit enim eos præ reliquis Imperiis eminuiſſe. Præterea nec æquale cæteris imperiis fit per hoc Romanum Imperium quòd agnoverit amicos & confœderatos; quia & ii amici noſtri ſunt, quibus civiliter imperamus, uti maritus uxori amicus eſt, licet caput illius ſit. Ex his colligimus tale fuiſſe Imperium Romanorum, quod reliquis populis terræ in ſocietatem coëuntibus juſtè ut imperans quippe præferretur. Hoc tam ampliſſimum Imperium & caput omnium populorum poſt Theodoſii tempora Germani dejecerunt ſingulis partibus occidentis ſibi ſubjectis: Ita Hiſpania Vandalis, Viſigothis ac Suevis; Gallia Francis ac Burgundis; Britannia Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis; Vindelicia Noricum & Rhetiæ pars Baioariis atque Alemannis; Pannonia poſt alios Hunnis ac demum Hungaris ceſſerunt. Ex Italiâ tempore Juſtiniani per Belliſarium Gothi, qui eam occupaverant denuò pulſi quidem ſunt; ſed Longobardi, qui circa initium ſeculi ſexti anno ſcil. 26, in Pannoniâ prius conſederant, Anno Chriſti

568,

568, ſub Alboino Rege, aſſumptis quoque aliis germanicis populis, Italiam irrumpentes eam longè latèque occuparunt, incoliſque ſedibus pulſis ibi habitarunt: ut tandem præter Venetias & Romam nihil ſupereſſet, ab ipſis non occupatum. Poſtquam ergò Romani de dignitate priſtinâ recuperandâ deſperarunt, Germanis victoribus ceſsêre tandem, atque adeò Majeſtas illa Imperii Romani occidentalis ad Germanos pervenit. Cæterùm quantum Carolo M. acquiſitum & patrimonio ejus adjectum ſit, per hoc quod Imperator factus eſt, inquirere, extra uſum fortaſſe erit: ſufficit ad Germanos dignitatem omnem Imperii Romani occidentalis per eos deleti deveniſſe, & reliqua regna quæ Germani Romanis ademerunt patriæ noſtræ velut matri hunc honorem ab Othone M. huc-uſque habuiſſe, ut Regi ejuſdem Imperatoriam dignitatem non invidere hactenus voluerint, licet tyrannico Imperio iiſdem non præfuerit. Rex ergo Germanorum Imperator Romano-Germanicus dicitur, quòd inter Reges omnes, qui præſunt Imperio, quod Romanorum olim fuit, ſummus ſit. Hanc enim reverentiam matri ſuæ reliquæ gentes Germanicæ penes quas plerarumque Europæ Regionum imperium eſt, debent. Et ita Cæſareus titulus

tulus facit Regem Germanorum reliquis Regibus, qui Imperii occidentalis partes obtinent, præferri. Unde porrò liquet Germanicum Imperium vocari Romanum, quòd Majeſtatem occidentalis Imperii Romani in ſe tranſtulerit. Quanquam quod fortitudine ſibi pararunt Germani ſuperſtitione, poſtea iterum dejectum ſit, dum tyrannidi imbellis pontificis omnia regna occidentalis Imperii penè ſubjecta ſunt, & hinc quod dignitati patriæ noſtræ præ reliquis eſſe debuiſſet in deteriorem ſervitutem eam præ reliquis detruſit.

Et neſcio quam ſurrogationem] Miratur Autor, unde illa ſurrogatio ſit imperii Germanici in locum Romani; ſed ex *præced.* id conſtare poteſt, quia ſcil. per hoc inverſum eſt occidentale Imperium,& ſplendor ejus ad Germanos tranſlatus.

Hæc quoque approbatio] Malè Autor Majeſtatem Imperatoriam arbitrio pontificis tribuit veluti epiſcopi & primarii Romanorum civis. Poſtquam enim à Germanis occupatum eſſet, Imperium occidentale & civitas Romana illud Caroli Regi Francici populi, velut germanorum primarii, dediſſet: ſplendor omnis Imperii illius ad Germanos tranſiit. Et licet pontifex ejuſque aſſeclæ nolint approbare electionem factam ab Electoribus: retinet tamen electus Imperatoriam dignitatem, tanquam princi-

principalis inter eos, qui dejecerunt Romanum Imperium, utpote qui matri præeſt, unde Coloniæ prodierunt, quæ partibus occidentalis Imperii imperant. Notum enim eſt, quòd à Gothis originem ſuam longâ ſerie deducere Magni Hiſpaniarum reges non erubeſcant, quod ingenti verborum apparatu ipſe Grotius, cum Regina Galliæ recens natum Delphinum gratularetur, jactavit. ita quæ olim Gallia dicta, germano Franciæ nōmine hodiè utens, matrem non negat ſuam noſtram Germaniam. Pro Autore facere poteſt, quòd qui tempore Arnulphi, Ludovici tertii, Conradi I & Henrici Aucupis reges Italiæ facti titulum Imperatoris ſibi uſurparunt; deinde, quòd Ottho M. iterum autoritate pontificis & populi Romani rex Italiæ creatus & per hoc Imperator factus eſt. Quare in Romanorum arbitrio Imperatoriam dignitatem eſſe quis meritò ſtatueret, ut quem ipſi velint Imperatorem facere poſſint, præſertim cùm Germaniæ noſtræ ante illa tempore ad dignitatem cæſaream nullum jus competiiſſe videatur. Verum nihil aliud ex his colligi poſſe videtur. quàm honorem Imperatorium matri germanorum competentem, ex confeſſione quoque civitatis Romanæ deberi; dum ex pacto germanici regni Ordinibus in perpetuum eſt conceſſum, ut quem illi Regem elegerint, is ſimul ſit Imperator Romanorum. Quod & per multos

tos annos ita obſervatum fuit, Regibus germanorum Imperium in Pontifices Romanos exercentibus. Fateri quidem cogimur huic dignitati patriæ noſtræ multum detractum eſſe; Juri tamen ejuſdem quicquam ablatum negamus. Principum Imperii eſt mutuam concordiam amare & id facere, ne ineptiis pontificis & mari ſuperſtitione dementati decus hocce ſummum amittant, patianturque Romam devictam in ſe victores tyrannidem exercere. Quid enim abſurdius eſt, quàm imbelli homini tale imperium concedere & Italiæ devictæ ſe ſubjicere?

Vnde illud quoque intelligi] Denegamus id Pontifici Romano, quod eidem Grotius tribuit, interregni ſcil. tempore ad eundem pertinere collationem feudorum Imperii Romani ſeu regni Italici, quòd eo tempore libero Romano populo primas teneat. Nam tale munus Papæ non competit; ſed ei qui vicarius eſt Romano-Germanici Imperii.

Neque verò] Hæ omnes Autoris opiniones inde ſunt natæ, quod Romanum Imperium & regnum Italiæ idem exiſtimarit. Supra enim diximus aliâ ex cauſâ id Jure naturæ patriæ noſtræ deberi. Ponamus Pontificem Romanum fungi vicarii officio in regno Italiæ, Imperatoris officio nunquam fungi poterit, ſed id competit ei quem patria noſtra elegit.

Et

Et ut in compendio proponam, quomodo & quibus de cauſis Imperator noſter caput orbis rectè dicetur. Conſideremus totum genus humanum in quo univerſalem quandam ſocietatem Deus eſſe voluit. Neceſſe autem eſt, ubi ſocietas eſt, & ex pluribus diverſis unum, dari naturaliter quod præeſt & imperat. *Ariſt. lib. 1. polit. c. 5.* Si verò in quadam parte generis humani hoc quærendum eſt, nuſpiam quàm in Europæo orbe invenietur, qui præter prudentiam civilem & omnes artes felicitati humanæ inſervientes etiam veram de Chriſto excoluit religionem adeoque ſocietatem habet cujus finis eſt æterna illa & vera felicitas. Quòd ſi autem Europæ Imperium hâc de cauſsâ debetur, noſter verò Imperator ſummam inter Europæos ac Chriſtianos dignitatem obtinet, fatente ipſo Autore *infrà cap. 15, § 12.* Annon Juſtè ipſi nomen Capitis totius orbis tribuetur? Nec mirum eſt plerosſque barbaros Europæorum Imperio ſe ſubtrahere: cùm videamus appetitum in homine rationem ſæpè de ſolio dejicere. Verùm dolendum omnino eſt, ob inteſtina bella Chriſtianos reges & principes eo, quod ſibi debetur, Imperio frui non poſſe.

CAP. X.

§ 1. *EXplicatio*] Ex Jure quod in perſonas aut res nobis competit obligationem

 in

in aliis naſci Autor putat hanc , ut alter qui rem vel perſonam quæ noſtra eſt in ſuâ poteſtate habet, efficiat quantum in ſe eſt, quò in noſtram poteſtatem veniat. Hæc ita Autor finxit occaſione ſumptâ ab iis, quæ de actionibus realibus in Jure civili Romano traduntur. Nolumus eſſe in refutando eo prolixi, præſertim quod hoc, quod exiſtimet, naturaliter ex obligatione actiones reales oriri, aliter ac Jus Romanum tradit, quod obligationes fontem perſonalium actionum conſtituit. Nos potius dicimus omnes obligationes, quibus homo liber alterius gratiâ quid facere tenetur, ex commutationibus oriri vel ſpontaneis quæ ex utriuſque partis conſenſu naſcuntur, vel invitis quæ ex ſcientiâ & conſilio lædentis invito verò læſo fiunt: quod ſi utroque invito & inſcio commutatio fit, ne quidem commutatio dicenda eſt. Nam in actionibus humanis mens & ratio requiritur, quæ ſi abſit nec adeſſe poſſit, quod ab homine fit ne quidem pro actione humanâ habetur. Tunc verò quando ab actore in Judicio manifeſtè probatum eſt dominium in rem, cujos alter ſe hactenus dominum geſſit, nec ille deſerere poſſeſſionem & actori petenti concedere velit, detrahit eidem actum ſecundum dominii & ex commutatione obligatur. Et hoc cauſſam dedit actionibus realibus, quibus adverſus alterū tantùm diſputamus, aliquod bonū externum eſſe ſub noſtro dominio, ejus tamē poſſeſſionem nobis deeſſe.

Neque

Neque hîc conſideratur] Bonæ fidei poſſeſſor qui ignorat rem alterius eſſe, firmamque habet opinionem ſe eſſe dominum, utpote qui omnia fecerit, quæ aliquem facere decuerit ad dominium comparandum, non poteſt dici obligatus ad rem reſtituendam. Quòd ſi verò reſciverit & compertum habuerit rem alterius eſſe, non bonæ fidei poſſeſſor ulterius, ſed malefidei dicendus eſt: ſi tamen non reſtituit quod poſſidet, majori veniâ dignus eſt, quam is, qui malâ fide, id eſt, ſciens eam alienam eſſe ſibi comparavit. Imò ſi bonæ fidei poſſeſſor regreſſum adverſus venditorem non habeat, dubitari omninò poteſt, annon ex æquitate dominus de ſuo aliquid remittere teneatur.

Quia vero] Putat Autor hanc obligationem omnes reliquos contractus præcedere, quòd contractu univerſali omnium hominum ſit conſtituta; & exemplo utitur depoſitarii, qui non lationi deponenti, ſed potius domino ad reſtituendum obligatur. Ratio verò potius hæc eſt, quia dominus vendicans qui probat dominium ſuum, manifeſtum reddit rem depoſitam quicquid eſt ſui ex non alterius gratiâ eſſe, quod tolli alterius facto nequit. Hinc depoſitarius non ita obligatur ad reſtituendum quàm ad patiendum à domino rem aufferri.

Et quod ibidem] Nam video quo pacto ex Autoris principiis rectius, quàm à Tryphonino *l.* 31. *ff. depoſ.* factum, id deduci poſſit.

Et hoc eſt quod Martianus] Circa conditio-

nes indebiti vel ob turpem cauſam alia ſunt fundamenta: nimirum ſi quis rem ſuam in alterum tranſtulerit, eumque dominum fecerit, qui juſtè fieri non poterat; ne inæqualitas oriatur, dominium revocatur.

Reddendi autem] Suprà *c. 7. §. 23.* notavimus: videri bonæ fidei poſſeſſorem ad fructus perceptos reſtituendos non obligatum, rationemque aſſignavimus.

De rebus non exſtantibus] Hæc nihil faciunt ad probandum, bonæ fidei poſſeſſorem teneri ad ea reſtituenda, quæ ex re alterius lucratus eſt: neque enim, ſi rem rectè perpendimus, quamdiu in bonâ fide fuit, ex re alterius quicquam lucratus eſt, utpote quam in ignoravit alienam, nec ſcire fortaſſe potuit. Quod ex Tullio affert Autor, æquè pro bonæ fidei poſſeſſore ac domino valet. Injuſtum enim eſt dominum locupletari velle ex incommodo ipſius, qui cùm hactenus actu ſecundo dominus fuit, omnia jura dominii habuit, ex curam ob opinionem dominii adhibuit. Præterea alterius gratiâ temerè operari ſervile eſt. Hinc enim omnes querelæ oriuntur, injuſti ſignum.

Bonæ fidei poſſeſſorem non acquirere fructus, eſt alterius gratiâ operari. Quod ex ſe manifeſtum eſt.

Ergo. Bonæ fidei poſſeſſorem non acquirere fructus, ſervile eſt & querelas parit.

Ex actu ſervi] Ratio quare dominus ſervi inſti-

inſtitoris teneatur, hæc eſt, quia dominus per ipſum contraxiſse videtur: ſi enim ratio Autoris valeret, tantùm teneretur dominus, quatenus eſt factus locupletior ex illo contractu, cum tamen præcisè obligetur.

Sic uxori] Ratio quare uxor à marito non modò rem donatam, ſed quod maritus ex re mulieris poſſidet, repetere poſſit, hæc eſt, quòd contractus donationis ſit vitioſus & contra leges. At in bonæ fidei poſſeſſore nihil vitioſum eſt: quod enim per ignorantiam fit, pro non facto habetur.

Pupilli] Exemplum hoc ad bonæ fidei poſſeſſores non quadrat: hi enim jura dominii revera habent, & quamdiu dominus rem non vindicat, geſta à domino habentur, quæ faciunt.

His regulis duabus] Harum alteram §. 1. propoſuit de rebus exſtantibus reddendis ei qui dominus eſt; alteram de rebus non exſtantibus, ut tantum ſolvatur, in quantum factus eſt alter locreplетior.

Ratio hujus rei eſt, quia perſona B.F. poſſeſſoris obligata non eſt ad reſtitutionem, ſed tantum pati tenetur rem auferri, ſi vindicat dominus eandèm.

Diximus hoc eſſe falſum, quia bonæ fidei poſſeſſor jura domini habet, donec res vindicetur. Nec ullam rationem Autor: prætendere poteſt, quare inter fructus naturales & induſtriales diſtinctionem ratione reſtitutionis

 faciat.

faciat. Retinet ergo B. F. poſſeſſor fructus omnes etiam ex ratione Autoris, quia ille dominus habetur, donec verus dominus rem evincat. quod vero damni dominus per id paſſus eſt, ab eo recuperare poteſt, cujus culpâ aut dolo ad alios inſcios res pervenit. At quod de exſtantibus *præced.* §. proponit, id non impugnamus. Nam poſtquam cognitum eſt alterum reverà dominum eſſe, facultas fruendi ex jure dominii proveniens in eo ceſſat; frueretur autem niſi exſtantes reſtitueret fructus: frui enim quoque eſt fructus ex re perceptos in ſuum uſum convertere.

§ 8. Quæ hoc §. Autor tradit, æquè falſa ac præcedentia eſſe videntur: ſi, uti videtur, de B. F. poſſeſſore loquitur. Et lex in margine citatâ de fure tractat, quam propterea male ad B. F. poſſeſſorem trahit.

§ 9. Dominus non tenetur poſſeſſori quicquam reſtituere, niſi poſſeſſor negotium ejus geſſerit, & in gratiam domini, quò facilius rem ſuam recuperaret, emit; ad quod tamen expreſſa proteſtatio requiri videtur, ut conſtet eam negotia domini gerere voluiſſe. Habet enim emptor regreſſem adverſus venditorem, ſi res evicta ſit; ſibi autem aſcribere debet, qui à talibus emit, quos evictâ re convenire nequit: niſi lapſus ejus excuſari & ex æquitate, aut potius commiſeratione dominus quid de pretio reſtituere velit. id quod tamen jure civili non attenditur, quia rei vindicationes ſtricti juris ſunt.

Sic

Sic enim & domini rerum] Hîc diverſitas eſt, ob jacturam, quam quis facit in rebus ejectis, cujus finis fuit conſervatio quoque alterius: tenetur enim alter ex ſocietate, quæ eſt inter eos, qui in eadem navi ſunt. Hûc exemplum iſtud quadraret: ſi à latronibus ablati eſſent equi, & ut meos recipiam, ſolvam ipſis, qui tamen poſtea alterius mihi reſtituunt. Ille enim ut recipiat ſuos equos; mihi pretium reſtituere tenetur propterea quia aliter nec ipſe recuperaturus fuiſſet: Et in tali caſu procedit, quod Autor ſtatuit.

§ 10. Si venditor vult rem recipere, nullum dubium eſt, quin ſalvâ conſcientiâ emptor eandem illi reſtituere poſſit; quia dominus à quovis poſſeſſore adeoque & à venditore vendicare rem ſuam poteſt, & ita ipſi nihil decedit.

§ 11. Res alterius, quem ignoramus, naturaliter videtur magiſtratui tradenda, ut diſponat circa eum, & indigentibus, ſi dominus non reperiatur pro ſuâ prudentiâ tribuat.

§ 12. Conditionem ob turpem cauſam naturaliter juſtam eſſe dico: turpiter enim accipere eſt contra honeſtatem accipere, & hoc retineri nequit: acceptum enim turpiter etiam turpiter retinetur.

§ 13. In his quæ pondere, numero & menſurâ conſtant, parum quidem intereſſe videtur, quam ſpeciem teneas: unde dominium magis in genere quam in ſpecie ſtudemus conſervare. adeoque ſpeciei dominium ſine no-

ſtro conſenſu amittere poſſe videmur. Verùm quia ſecuritati aliquid detrahitur, dum certi non ſumus de ſpecie aliâ recuperandâ, ſi eâ opus; alter ſine noſtro conſenſu eandem injuſtè occupat.

Cap. XI.

Examinat Autor ſententiam Connani defendentis, conventiones illas nullam obligationem parere, quæ non continent συνάλλαγμα. Et certè fateor nullam conventionem, niſi cauſam contineat ullius momenti eſſe. Videtur verò Connanus ſub his, quæ nullum continent συνάλλαγμα comprehendere, quæ donandi animo fiunt: ſi enim quid donandi animo promittimus, videtur hoc ex merâ proficiſci benevolentiâ & amicitiæ conſervandæ gratiâ fieri, quod leges cujuſlibet honeſtati ſolent relinquere, cùm nihil detrahatuю, alteri, cui tale quid promiſſum eſt, ſi non ſervetur. Sed reſponderi Connano poteſt, in donationibus quoque ſubeſſe quiddam, quod damnum afferre poſſit donatario, ſi quid promiſſum eſt, non accipiat: ſpe enim conſequendi promiſſum multa facit, quæ promiſſione non interveniente omiſiſſet.

Quod non minor ſit culpa] Diximus jam cauſam ſubeſſe, amicitiam nimirum & deinde honorem, quem ſibi, ex libertate donans parit.

Hinc quando Connanus dicit, ſæpè ex oſten-

oſtentatione promiſſiones fieri; confirmat, cauſam ſubeſſe, ob quam promiſſioni ſtare, quàm non ſtare teneamur. Injuſtè enim hactenus honore & benevolentia donatarii uſus eſt, quando promiſſo, quo ſibi hoc comparabat, non ſtat.

Quod ſi res integra non ſit] JCti ex jure civili ita hoc tradere ſolent: conventiones, vel certum nomen recipiunt propter naturam, quam habent, & illæ dicuntur contractus nominati, aut verò certum nomen non conſequuntur, harum aliæ contractibus adjiciuntur, & vocantur pacta, quæ legem dant contractibus informantque actiones. In his quæ non accedunt contractibus nominatis vel ab unâ parte impletur, quod conventum eſt, unde meritò ab alterâ ant intereſſe implenti dandum aut promiſſum præſtandum, de quo convenit. Ejuſmodi conventiones nomine quidem carentes implemento tamen ab uno convenientium roboratæ, contractus innominati dicuntur, ex quibus actio præſcriptis verbis naſcitur. Quod ſi nullum implementum accedit, & conventiones in placiti finibus conſtituunt, vocantur pacta nuda, ad contra diſtinctionem eorum, quæ contractibus adjiciuntur, & legem iiſdem dant, adeoque actiones informant: nuda enim non ad agendum, ſed tantum ad excipiendum valent. poſſunt autem & hæc pacta nuda robur conſequi ſi verborum ſolennitate firmentur, quâ veſtita

tranſeunt in naturam contractus, qui ſtipulatio vocatur. Horum cauſſas Connanus hunc in modum tradit: Si enim pacta nuda obligarent, futurum eſſet, ut quandoque ex inconſiderantiâ aliquid promittens ad ſolvendum injuſtè aſtringeretur; relinqui ergò meritò cujuſlibet honeſtati putat, an velit ſtare promiſſis ejuſmodi, vel non; aliquando enim ſecundum leges vim conſequi, ſi addita ſit verborum obligatio, ut quod per ſe honeſtum eſt, id effici poſſit neceſſarium.

Verum hæc ſententia] Non ita Autor Connani ſententiam, quàm JCtorum Romanorum placita refutat. Quòd ſi vero rem rectè perpendimus; non adeo inepta eſt JCtorum illorum ſententia, imo in Jure naturæ fundata; ſed quia à JCtis hodiernis non ſatis percepta eſt hactenus; tantis tenebris videtur involuta, ut eam ob cauſam apud nos ad obſervantiam venire nequiverit. Fundamenta autem, quibus aſtruimus, non ſine ratione hanc diſtinctionem pactorum à JCtis Romanis traditam eſſe, hæc ſunt: Qui conveniunt vel ſocietatem aliquam commutativam (nam inter contrahentes propior quædam eſt ſocietas, quam quæ communis eſt hominium infrà *c.* 12. §.9.) ineunt, ex quâ initâ alter alteri velut pars ſocietatis aliquid præſtare tenetur, quod quale eſſe debeat, licet ex ipſa natura rei cognoſci poſſit, nihilominus tamen leges ſolent adjici ex conſenſu contrahentium, quibus dirigan-

rigantur commutationes illæ; pactaque adjecta vocantur it. informantia contractus, item leges contractuum. Hæ autem contractuum leges limitationes varias, ex naturâ contractus, cui ſunt adjectæ recipiunt. Quemadmodum enim quæ publicè latæ ſunt ex Jure naturæ propter æquitatem ſæpè limitantur; ita & hæ privatorum leges interpretationem reſtrictivam ex Jure illo quod per naturam ſuam ſinguli contractus habent frequenter non modò patiuntur, ſed & requirunt. Ut verò conventiones vim legum conſequantur & contractus informent incontinenti bonæ fidei contractibus eas addi, quò certo conſtet, hanc fuiſſe contrahentium voluntatem, ut contractus initi his dirigerentur. Quòd ſi non conſtet cui negotio adjectæ ſint, non leges negotia informantes, ſed nuda pacta & in placiti finibus conſiſtere dicuntur. Conceſſum tamen & Romanis legibus fuit, præcisè quandoque ſe pacto ſubjicere, licet nulli acceſſerit negotio nominato quod dirigiret: & quò hoc pateret, & à magiſtratu tanquam defenſore legum cognoſci poſſet, certam verborum ſolennitatem excogitarunt, quâ intercedente præcisè obligati ſunt ad futurum aliquod factum. Hoc poſito, neceſſe fuit, ſi ſolennitas verborum non acceſſerit, nec conventio in proprium nomen contractus tranſierit, pacta civium mera placita fuiſse, nec vim ad agendum peperiſse. Patet ex his porrò quare ſtipulatio-

 nes

nes fuerint ſtricte Juris, quia ſcil. leges ſtipulationis explicationem reſtrictivam non admiſerunt, utpote quibus præcisè ad præſtandum aliquid adſtringebantur: ſufficiebat enim ſi de mente contrahentium conſtaret, quod per ſolam explicativam interpretationem abſolvebatur. Porrò pacta negotiis certam naturam habentibus adjecta ex naturâ negotii, cui adjecta fuêre tunc interpretationem reſtrictivam ceperunt, ſi ſtipulatione non fuerunt firmata: ad hoc enim & ſtipulatione uſi ſunt, ut Judex æquitate omiſsâ teneretur præciſe ex mente ſtipulantium pronunciare: Hodiè ſtipulatione malè neglectâ in contractibus, ſi leges contractuum velint ſtrictè obſervatas variis exceptionibus renunciare ſolent; quia exceptiones opponuntur ex æquitate ad corrigendum Jus ſtrictum quod in negotiis obtinet, id eſt, ad efficiendum, ut interpretatione reſtrictivâ leges & Jura limitentur. Unde & adverſus ſtipulationes nullæ valebant exceptiones, quàm quæ legem planè tollendi vim habent, quales ſunt, doli, impoſſibilitatis ſi creata non exiſtat cujus gratiâ lex lata eſt, velut exceptio non numeratæ pecuniæ.

Primum enim ſequitur] Autor contra JCtos Romanos non ex Jure naturæ eſse, quod illi ex pactis nudis actionem non dederint, ab abſurdo argumentari vult: Dicit enim, ſequi exinde inter Reges & populos nullorum pactorum eſse uſum. Verùm quid obſtabit, ſi ponamus

namus parem rationem eſse pactorum, quæ populi paciſcentes faciunt, ac quæ à privatis fiunt, eademque Jure naturæ attendenda eſse, quæ in privatorum pactis Jus Romanum exegit: aut enim videndum eſt, an negotium geſſerit, quod legibus dirigi poteſt, quod ſit quando ineuntes pacem eam ſocietatem inter ſe colere conſtituunt, quæ vicinitas rectè vocari poteſt, accedit enim ita pactum negotio cuidam eſt ſocietati, atque per hoc lex fit; aut an præcisè ad aliquid præſtandum ſe obligarint, quod certis fieri ſolennitatibus ſolet, & tunc idem erit contractus qui apud Romanos ſtipulatio dicebatur. Ita cum populus Romanus Collatinos in deditionem accipere vellet, adhibita eſt ſtipulatio. Si tale nihil appareat, merum erit placitum. Cætera nihil ad rem faciunt; quia ſi ea obſervantur in conventionibus, prout Jus civile fieri jubet, ſervatur hominum voluntas, adeò ut argumentum Autoris ex voluntate hominum nihil ad hoc faciat, ut dicamus omnia conventa temerè ſervanda eſse.

§ 2. & 3. Facit hîc Autor tres gradus loquendi de rebus futuris, quæ in noſtrâ poteſtate ſunt. Circa ſecundum gradum hoc notandum, Vocabulum obligationis eſse homonymum, quemadmodum & Juris & Juſtitiæ; ex particulari enim Juſto obligatio oritur, quæ Jus dat exigendi ab aliquo; ex Juſto univerſali obligantur ſinguli, ita tamen, ut alter ab

altero non exigere debitum, ſed is tantum qui merum imperium habet coërcendi vim adhibere poſſit. Quædam etenim ad univerſalem Juſtitiam ſpectantia honeſtati cujuſque relinquuntur : ita Juſto naturali univerſali quis obligatur, ut verbi gratia pauperi ſuccurrat, pauper verò exigendi Jus non habet, nec magiſtratus vim addit.

§ 4. Tertius gradus naturaliter non obtineri poteſt, niſi quod Jure Romano expreſſum eſt, obſervatur : Jus enim exigendi conferri alter nequit, niſi ſocietas commutativa ſit inita, ex quâ alter alteri ſecundum Jura & leges quibus ea dirigitur, quid præſtare tenetur ; aut niſi præcisè quis de præſtando aliquo ſe obligarit alteri, quod verborum ſolennitate Romani perfecerunt.

Eſt enim aut via] Haud bona eſt hac ratio, quia libertatis particula nec ex conventione poteſt alienari. Hinc nulla ſtipulatio valet ſine accedente cauſsâ vid. emptionis, donationis, &c. (donatio enim uti initio *h. cap.* diximus, etiam cauſam continet, amicitiam ſcil. & benevolentiam alterius it. honorem ob liberalitatem) quia ſervile eſt alterius gratiâ quid facere, ubi nullum eſt συνάλλαγμα ſeu cauſſa præſtandi. Nemo ergò ut ſervus ad faciendum ex promiſſo tenetur, ſed liberè ex ſua conventione & quidem propter cauſſam.

Deum ipſum] An ergò Deus amittit particulam ſuæ libertatis, quando promittit aliquid? quo-

quomodo verò cùm ſit ens liberrimum? Putò autem Deum ad captum noſtrū in Scriptura S. ſe accommodare, adeò ut ex iis de promiſſionū humanarum naturâ nihil diſſerere poſſimus.

Nam ICtorum dicta] Errat vulgatum errorem Autor, quando ſtipulationem deliberati animi ſignum putat. Nam & in ſtipulatione, conſiderabant JCti Romani an ſerie eſſet nec ne *l.* 3. §. *fin. de.* O. & *A.* Deinde & in contractibus nominatis adhibuerunt ſtipulationem: at illi aliàs pro ſeriis habebantur negotiis. Et licet ſolennitas verborum acceſſerit negotio; ſemper tamen attendi voluerunt, an animo ſtipulandi id fuerit factum *l.* 7. §. 12. *ff. de pactis.* Repetimus ergò, quod anteà diximus, ſtipulationem hunc habuiſſe finem, ut præcisè quis legi ſervandæ ſubjiceretur, nec limitandi pacta ulla facultas Judici competeret.

Vt Ius proprium concedat.] Neceſſe eſt quandam commutationis ſpeciem intervenire, ut Jus proprium, prout Autor id vocat, alteri concedatur. Obligationes enim quæ alteri Jus non pariunt Juſti univerſalis ſunt.

§ 5. Ut quis obligetur, neceſſe eſt eum prudentiâ inſtructum eſſe ad ſubeunda negotia ad uſum vitæ facientia. Obligationes enim ex ſocietatibus commutativis oriuntur: at ſocietates commutativæ media ſunt, quibus paterfam. ad ſufficientiam obtinendam utitur. Et cùm ad ejus officium pertineat media hæc eligere, prudentem eum eſſe convenit. Ex his demonſtran-

ſtrantur quæ à JCtis in ſingulis contractibus de perſonis quæ contrahere vel non contrahere poſſunt, ad nauſeam penè inculcantur.

Ideo & furioſi] De furioſis res certa eſt; de infantibus demonſtratur, quia ad prudentiam ætas requiritur, conſiſtit enim ea in experientiâ, quæ ſine multis annis & longâ ætate nulla eſt. Si verò quis ejus eâ ætate, quâ communiter acquiritur, prudentiâ inſtructus non ſit, ſibi id aſcribat; nec enim imprudentiâ ſuâ ſe excuſare poterit; quia erroris ſui cauſſa eſt.

§ 6. Nam diſtingui ſolet] Notum quidem eſt, JCtos ita diſtinguere ſolere. Sed fortaſſe iſtis diſtinctionibus, opus non eſt, nec ea ad mentem legum civilium eſſe videntur: præſertim quod dicunt contractus b. f. ex dolo dante cauſſam contractibus nullos eſſe ipſo Jure, cùm tamen de ſolo ſocietatis contractu hoc aſſeratur *l.* 3. *§. fin. pro ſoc.* it *l.* 16. *§.* 1. *de minor.* Illi verò contra expreſſam. *l.* 5. *C. de reſcind. vendit.* hoc ad omnes b. f. contractus temere extendunt. Status autem, quod attinet ad quæſtionem, an contractus, cui dolus cauſſam dedit, reſcindi debeat, vel ipſo Jure nullus ſit, id in ſolo ſocietatis contractu, qui ex mutuâ & arctiſſimâ benevolentiâ oritur, hoc tantum obtinere, ut ipſo Jure nullus ſit, ſi dolus ſocii cauſſam dederit contractui; In emptione verò venditione, locatione it. & conductione, quia quædam circumventiones permittuntur, dolum, qui à contrahente uno proficiſci-

ficiſcitur, non facere ſtatim contructum nullum. Hinc prætorem convenit dolo cognoſcere, qui ſi tale conſilium de lædendo præceſſiſſe contrarium reperiat, quo niſi inductus alter ad contrahendum fuiſſet, non contraxiſſet, contractum reſcindat.

At vitam] Neſcio an Autoris ratio ſit Juris naturæ: licet enim promiſſor ſe fundet in aliquâ facti, quod nôn exſtitiſſe poſtea manifeſtum ſit, præſumptione; non profectò ſequetur, eum non debere, quod promiſit. Pone præſumpſiſſe aliquem, ſibi in ædibus Filii nullum Jus eſſe cùm tamen reverà eſſet dominus, & hac re inductum emiſſe domum Mævii: ſanè injuſtè recedet à contractu, ſi poſtea comperit ſe dominum eſſe. Ego rem ita deciderem. Conventiones aut ſunt de ſubeundo negotio quod ad communem vitæ utilitatem facit, aut de adjiciendis legibus ſeu pactis, quibus negotium dirigitur. Conventiones de ſubeundis negotiis vel ſolo amicitiæ intuitu fiunt vel aliam ob cauſſam; Illæ ſi ex præſumptione facti initæ ſunt, poſſunt ab eo, qui aliquid dare promiſit reſcindi; quia alteri, reſciſſo negotio propter errorem inito, nullum damnum infertur; aut leve; quòd fortaſſe aliàs eam non coluiſſet cum donante amicitiam. At quando utraque pars in aliquo præſtando oneratur, ob errorem reſcindere contractum alter nequit, niſi altera dolo ſuo errori cauſſam dederit: tunc enim conqueri non poteſt, quia erroris causa fuit.

Quòd

Quòd ſi circa pacta contractui adjecta error quidam intervenerit, ex æquo & bono illa limitanda, reſtringenda, aut invalida reddenda ſunt, ſalvo manente contractu.

§ 7. *Sed illud veriſſimum*] Fateor merè poſitivum eſſe, quod Jura civilia actiorem *Quod metus cauſsâ* faciant in rem ſcriptam, id eſt, ut non conſiderato, quis metum intulerit, modò metum incuſsum eſse probetur, reſcindantur contractus vi metu initi. Natura enim hoc quod Autor tradit, potius ſuadet; ut qui metum incuſſit ad contrahendum, tantum teneatur alteri præſtare, quantum detrimenti & damni exinde contrahenti illatum eſt manente firmo contractu. Si ipſe contrahens metum incuſſit, non male cum Autore ſtatuimus, teneri eum à contractu hunc liberare, quia in ipſius hoc poteſtate eſt, & per ipſius vim inductus ille ad contrahendum fuit non malitia ullo modo ipſi proſit.

§ 8. Quæ fieri nequeunt, ad ea nemo obligatur: *l. impoſſibilium*. 185. *de Reg. I. l. generaliter*. 26. *de V.O.* l. *multum* 34. *de V.* O. pluſquam ſervile enim eſt aſtringi neceſſitate ad faciendum ea quæ fieri nequeunt. Sed notandum puto: alia ſimpliciter extra noſtram poteſtatem eſſe, quæ vel per naturam dari fierique nequeunt; vel propter conjunctam turpitudinem: talia enim Iure naturæ impoſſibilium numero accenſentur. Hûc referri etiam poſſunt quæ legibus fieri prohibentur. Ab his enim diverſa ſunt,

quæ

quæ reſpectu promittentis vel ſtipulantis præſtari non poſſunt; & hoc caſu,ſi ſtipulatoris reſpectu impoſibilis ſit præſtatio,ex promiſſione non tenemur: ille enim ſibi debet aſcribere, quòd pro ſuâ causâ id à me ſtipulatus ſit,quod conſequi nequit;illo verò caſu ſi ſcil.à promiſſoris parte poteſtas implendi deficiat, liberari promiſſor non videtur;quia in culpâ eſt,quòd quæ à ſe præſtari non poſſe ſcivit, de iis præſtandis ſibi legem dixerit. Eodem modo ſe res habet ſi ſcire potuiſset & prudenter colligere, ſe promiſſis præſtandis ineptum eſse.

Sed in hoc quoque genere]Promiſſio nuptiarum conſtante matrimonio turpis eſt. Nam cùm promiſſio neminem obliget, niſi ex causâ,quæ in ſponſalibus eſt mutuus amor & ſumma benevolentia affectuſque conjugalis: hunc verò conſtante matrimonio inter alios quàm conjuges reperiri turpe ſit: neceſse eſt & promiſſionem futurarum nuptiarum non ſolum leg. civilibus ſed etiam Jure naturæ nullam eſse.

§ 9. *Sed non quicquid*] Putat Autor naturali Jure eum, qui quid ex prodigâ donatione nactus eſt,retinere illud poſse,quia donatione factâ ceſset vitioſitas. At quòd donatorius non teneatur reſtituere, qui ab ethicè prodigo quid conſecutus eſt,exinde fit,quia leges civiles plerumque id cujuſque honeſtati relinquunt, ut virtuosè & ex mediocritate det. Nihilominus tamen,ſi quis plus accipit quam debebat, & ab eo,à quo non debebat,idque poſtea deprehendit

dit vitioſum; non dubito, quin ſi à vitio avaritiæ deſiſtere velit, reſtitutione ſuperflui pœnitentiam declarare teneatur.

At in promiſſis] Putat Autor crimine perpetrato convaleſcere obligationem, ut incipiat deberi, quod antè non debebatur propter impedimentum, ne obligatio illex ſit mali. At ſi poſt crimen perpetratum obligatio vim exſerit, æquè & magis homines ad illud committendum invitabuntur. Sed Jure naturæ nec ex crimine perpetrato obligationem naſci verius cenſeo. Nam contra Autorem ſemper ſtatu, ſine aliquâ convenienti cauſsâ neminem obligari, nec legem ſibi de dando aut faciendo imponere poſse. At turpia nullam mercedem nihilque viciſſim retribuendum exigunt: haberetur enim turpis actio pro bono aliquo, nec delectio promiſsoris de vitioſâ actione corrigetur. Quare coërcendus potius uterque eſt, ut vitioſa agere dediſcant.

§ 10. Puto hîc diſtinguendum an debitor ex malitiâ detineat creditorem nec ſolvere velit, ut ad demulcendum & molliendum eum aliquid promittere creditor cogatur; & ita malitia non poteſt naturaliter efficere, ut lex, quam ſibi propterea creditur dixit, vim habeat: ſi verò nulla debitoris improbitate accidente alio modo differri ſoluta poſset, aut alteri alicui creditori prius eſset ſolvendum ob prærogativam quam habet, hoc beneficio tanquam cauſsa efficaci obligari poterimus. Quod verò Autor

Autor toties repetit & pro fundamento ſumit, naturaliter nos nullâ cauſsâ interveniente ex ſolâ noſtræ voluntatis declaratione obligari, id ſæpius monuimus temerè admittendum non eſse.

§ 11. Modus promittendi non eſt idem in omnibus, ſed uti ſuprà innuimus, in aliis promiſſionibus nullæ, in aliis verò quædam ſolennitates requiruntur. In quibus enim negotiis, ſi quod injuſtum acciderit, limitari & corrigi poteſt, in iis ſolennitates pactorum nullæ ſunt: at quæ ſtrictè ſervanda ſunt, peculiares videntur naturaliter ſolennitates requirere. Et hac de cauſsâ Romani ſtipulationem verborum ſolennitate perfici voluerunt.

§ 12. Confundit Autor Inſtrumentum cum amico: ſervi enim tanquam inſtrumenta noſtra nos obligant, ſi ex conſenſu noſtro contrahunt; at liberi homines ex mandato noſtro ita, ut induant noſtram perſonam, eamque repræſentent. Hinc amicus meus alter ego vocatur.

§ 13. Ratio Romanarum legum videtur magis in naturâ fundata eſſe: Exercitores enim circa magiſtratum ſocietatem habent & ſinguli in ſolidum tenetur, & quod ipſis ex ſocietate recuperare licet, ſine damno ſolvere poſſunt, cum contrà in actoris damnum vergat, ſi cum ſingulis pro partibus agere teneatur. Legem Hollandorum tanquam Jus poſitivum in medio relinquimus: fieri enim poteſt, ut Reſpubl. certas

certas ob cauſsas quandoque à Jure naturæ paullulum abeat.

§ 14. Cum nemo temerè obligetur ex promiſſione, ſed ſemper quædam cauſsa requiratur, etiamſi gratis detur, quia amicitia tunc ſubeſt, cujus officia qui promiſſionem acceptat præſtare tenetur: (poſsunt quippè donata ob ingratum animum revocari) neceſse eſt, eum, cui promittitur, promiſſionem acceptare; ne ei præter voluntatem cauſsa affingi poſſit. Quod pollicitationem attinet factam civitatibus, ratam eam nimirum eſse, licet ſine acceptatione promiſſio facta ſit, ſtatuunt hac in re Jura Romana, ſi ob juſtam cauſsam quis pollicitus ſit aut ſi rem cœperit facere quam promiſit promiſsorem teneri: Videtur autem ratio naturalis hæc eſse, quia Reipubl. quicquid promittimus debemus, ob beneficia quæ ab ipsâ ad nos perveniunt. Undè non neceſse eſt, ut illa promiſsum acceptet; quippe quæ pro eodem ad cauſsam non teneatur, cùm tanta jam ſint ejus erga pollicitantem merita, ut rependi nequeant.

§ 15. Dubito an verum ſit, in liberalibus promiſſionibus mentem promiſsoris hanc eſſe: *Volo ut valeas, ſi acceptetur*; quia ſolemus in donationibus aut gloriam aut amicitiam quærere; quare & uti reliquæ promiſſiones, videntur hac mente fieri: *Volo ut valeat, ſi acceptatum intellexere.*

§ 16. *Revocari etiam poſſe*] Naturaliter conſideran-

ſiderandum videtur, an ex donatione propter amicitiam id ſit factum, atque ita ob cauſsam, quæ perſonæ adhæret, an verò ob aliam cauſſam, quam defunctus ad hæredem transfert. Videtur enim ex lege illâ, quam ſibi dixit, herede acceptante, teneri.

§ 17. Hæc Autoris demonſtrari poſſunt ex iis, quæ antea de natura ſervi & amici monui: malè enim is amicum inſtrumentum appellat. Mandatarius ergò ſeu amicus qui perſonam noſtram induit, ſi moriatur antequam promittat, facit naturam voluntatem declaratam nondum eſſe: at ſi inſtrumento deferendi promiſſum ſervo nimirum utamur jam natura voluntas declarata eſſe videtur, licet per alium deferatur, quàm per eum quo velut inſtrumento utebamur.

Diſtinguendum] Hæc diſtinctio eodem recidere videtur, quò noſtra, inter amicum & inſtrumentum: & ita ex eodem fundamento reliqua hujus § 17. declarari poſſunt.

In dubio] Hæc vera ratio non eſt; ſed cùm mandatarius mandantem repræſentet, non poteſt eo mortuò quicquam agere, quia mortuus ad agendum non eſt idoneus. Exceptiones ob peculiarem favorem valent.

§ 18. Putat Autor promiſſionem mihi factam, ut alteri res detur, valere, licet meâ nihil interſit, ſecus quàm Jus Romanum introduxit. At ſi promiſſarii nihil interſit, in quo erit cauſſa, ob quam fit promiſſio? non in promiſſarios

ita

ita enim is redditur ſervilis nil ſui ſed omne negotium alterius gratiâ peragens; non in eo cui dari promittitur, ſi enim in hoc eſſet, non in promiſſario poſſet exiſtere.

Diſtinguendum ultrà non puto] Si Autor putat, mandatarium pupillum eſſe poſſe, falſum eſt quod tradit, per ea quæ §. 5. demonſtrata ſunt; ſi exiſtimat, ut inſtrumentum eum adhiberi poſſe, iterum errat; quia liber homo inſtrumentum eſse nequit.

Deficiente autem mandato] Injuſtum eſt promiſſoıem in obligatione eſſe ſine cauſsâ. Ergo. & nequit ante acceptationem quandiu illa pendet obligari.

§ 20. Vix videtur ex Juræ naturæ quicquam hoc in negotio determinari poſse, ſed potius omnia committenda eſse Juri legitimo.

§ 21. Sæpius jam diximus, id contra naturam promiſſionum eſse. Evertit enim ſocietatem liberos hominum, & omnes Juſti retributivi fundamentum. Ne enim ſerviliter alterius eſſe incipiamus; neceſsè eſt negotium, quod geritur, ad nos quoque pertingere, & aliquid commodi nobis afferre. Rerum autem donationes ſuas habent cauſsas : eſt enim & amicitia bonum externum & ex numero eorum, circa quæ Juſtum particulare verſatur.

Cap.

CAP. XII.

§.1. ACtus humani qui ad alterum ſunt, dupliciter conſiderari poſſunt, vel quatenus ex virtute aliqua aut vitio proficiſcuntur, & ad Iuſtitiam Univerſalem pertinent, vel quatenus aliquod bonum externum ad alterum transferunt cum alio compenſandum, qui ex Iuſtitiâ particulari dijudicantur. v.g. donatio dupliciter conſiderari poteſt, quatenus ſcil. ex virtute liberalitate nim. proficiſcitur, & hæc conſideratio Iuſtitiæ Vniverſalis eſt; vel quatenus bonum externum, pecunia nimirum data ad alterum transfertur ob officia amicitiæ præſtita aut præſtanda, præſertim in utili amicitiâ. (honeſtæ enim amicitiæ officia pecuniâ æſtimari nequeunt) Vnde querelæ oriuntur, ſi alter plus, alter minus conſecutus ſit; & hujus conſideratio eſt Iuſtitiæ particularis. Eſt enim Omnis amicitia cum Iure quodam conjuncta. Cum autem hæc ſint homonyma nec unam naturam habeant, prius diſtinguenda ſunt, & probè ab invicem ſeparanda. Quod quia Author non facit, ſed dividendo ab accidentibus progreditur, indicium eſt multa inde oritura in docendo incommoda.

§. 2. Dividit actus ſimplices in beneficos & permutatorios; beneficos iterum in meros, & cum mutua obligatione; & eos vel in præſens abſolvi, quale quippiam factum utile dicit, quod utilitatem quidem parit, ſed nullum habet juris effectum. Mallem hîc Authorem exemplum adjeciſſe, ut mentem ipſius melius aſſequi nobis licuiſſet. Videtur autem ſubintelligere actionem aliquam virtuoſam ad ſalutem aliorum;& ita confunduntur actus,quatenus ſecundum juſtitiam Univerſalem conſiderantur cum iis qui ad juſtitiam particularem pertinent. Præter hæc notandum, quod donatio non ſemper actus mere beneficus ſit,quia ob ingratum donatarii animum revocari donatio poteſt.

In futurum prominent] Mira eſt hæc phraſis quâ Author hîc utitur & obſcura. Nam donatio etiam in futurum prominet, ut donans teneatur quod donatum eſt relinquere donatario, niſi ingratus fuerit, & ita actus hic prominet in futurum, ut aliquando poſſit revocari. Quin licet donationibus pacta adjicere, quæ actus iſtos quoque in futurum prominere faciunt.

Benefici actus cum obligatione] Hæc diviſio à meris accidentibus procedit, non à rei eſſentiâ vel naturâ. Quin nec ſpecies generum proponit Autor, dum terminos alienantes loco differentiarum ſumit. Hoc exinde patet,quando di-

do dicit alios actus merè beneficos eſſe, alios cum obligatione. Ergò *τὸ cum obligatione* detrahit aliquid naturæ beneficorum actuum: adeoque quod de beneficis actibus dicitur, non poterit tutò de his qui cum obligatione conjuncti ſunt prædicari. Fruſtra ergò ſecundum hanc diviſionem progredimur, niſi ineptiis Ramiſticis imbuti memoriç ergò velimus iſtis diviſionibus inhærere.

Qui commodatio dicitur] Neſcio an ſatis tutò commodare actus beneficus dici poſsit. Nam licet non conſtituatur pretium æſtimans carentiam uſus; merè tamen beneficus non videtur; quin fieri poteſt, ut uſu alicujus rei non indigentes, nec debito modo cuſtodire eam valentes, pro diligentiſsimâ cuſtodiâ uſum ejus alteri concedamus. Et ita licet ratione pretii æſtimantis uſum gratuitus videatur contractus, reverà tamen aliquando beneficus non eſt.

Quæ dicitur mandatum.] Difficile oppidò eſt ex traditis ab Authore naturam mandati intelligere: talis enim ex diviſione Authoris erit ejus definitio, quod ſit actus beneficus cum mutuâ obligatione, qui diſponit de facto, ut aliquis effectus ſuperſit, in quo facto eſt præſtatio operæ ſumptuoſæ aut obligatoriæ.

Cujus ſpecies eſt depoſitum] Tradit, depoſitum eſſe mandati ſpeciem. At hoc falſum eſt, & malè Author id ex ſuâ mandati definitio-

ne colligit, quæ eſt vitioſa. Nam mandatum in amicitia fundatum hoc in ſua eſſentia includit, ut mandatarius mandantis perſonam induat & repræſentet, faciatque aliquid nomine ejus, ac ſi ipſe feciſſet. Sed quando depoſitam rem depoſitarius cuſtodit, non induit perſonam deponentis, ut eum repræſentet, quin potius res depoſita induit quaſi naturam rerum quæ ſub depoſitarii dominio ſunt, quo cum iiſdem cuſtodiatur.

§. 3. Contractus innominatos naturaliter à nominatis differre negat. Putat non nominatos contractus peculiariter à quatuor iſtis (Author ad tres ſpecies redigit, & do ut facias, omittit, cùm tamen do ut facias; facio ut des diverſi ſint, uti ex Jure civili Romano apparet.) Do ut des; facio ut facias, do ut facias, facio ut des, exemptos eſſe à Romanis, quod ob uſum frequentiorem vim quandam & naturam acceperint talem, quæ, etiamſi nihil eſſet ſpecialiter dictum, ex ipſo nomine ſatis poſſet intelligi. At conſuetudo non poteſt rei alicui naturam certam indere, ut fiat peculiaris negotii humani ſpecies, licet poſſit nos ad intelligendas illas ſpecies manuducere.

Ob eandem cauſſam] Non videtur uſus frequentior cauſſa eſſe poſſe, quare non liceat pœnitere, etiam antequam à partium altera aliquid præſtitum ſit. Quid enim movere potuiſſet LLatores Romanos, ut vim conjectivam

vam denegarent legibus privatorum, adjectis iis negotiis, quæ rarò inter eos exercebantur. Annon deridendus eſſet cuſtos legum dicens: iis negotiis, quæ à civibus rarò geruntur, nullam vim coactivam addam, nequaquam promiſſorem adigam, ut pacta ſeu leges circa talia confectas ſervet?

At jus natura ignorat] Fundata in Jure naturæ eſſe quæ circa contractus à Romanis obſervata ſunt, ita probabo: Demonſtratum ſupra eſt, dominia & proprietates rerum ad humani generis ſalutem per ſe pertinere, & propterea Juris naturæ exiſtere, ex quo eodem Jure & commutationes ſunt, quibus mutuæ indigentiæ homines ſuccurrunt. Licet autem homines liberi omnes aliqua ſocietate invicem juncti ſint, *l.* 3. *de Juſt. & Jur.* Societates tamen commutativas nòn inſtituunt, niſi indigere ſe ſentiant: unde ad illas ineundas peculiaris conſenſus requiritur. Conventio ergò ſeu mutuus conſenſus, quo ſocietatem commutativam homines mutuæ indigentiæ ſuccurrentes ineunt, contractus dicitur. Et talis ſocietas ex ſua natura Jus quoddam producit, quo conſervatur & ad finem debitum perducitur. Societatem porrò commutativam omnem Jus retributivum dirigit geometrica proportione conferendo ad invicem bona externa, & ſecundum æqualem menſuram retribuendo. Et ut hoc ritè fiat, nummus adhibetur, qui commu-

nis quædam omnium rerum menſura eſt, ſecundum indigentiam. Hinc dico neceſſarium eſſe, ut alii contractus nominati fiant, alii innominati: ſi enim ex natura negotii quid juſtum ſecundum Iuſtitiam retributivam vel diſtributivam in eo ſit, cognoſci nequeat, contractus nominatus non eſt, ſed à ſola mente & voluntate contrahentium dependens negotium & ſecundum eam dijudicandum. Negotiis ergò certam naturam certumque Jus habentibus non opus eſt ſolennitates aliquas peculiares addere; ſed ſufficit ita inſtitui, ut facta eſſe probari poſſit: ſi quid enim pacti ſint contrahentes, quod detrimentum afferre poſſet; ex natura contractus adhibito Juſto retributivo, à magiſtratu vim coactivam legibus privatorum addente corrigi poteſt. Sed in iis negotiis, quæ nullam certam naturam, nullumque adeò Jus naturale dirigens habent, ſed ſolummodo in voluntate contrahentium ſubſiſtunt, cùm Magiſtratus ex ſola mente contrahentium pronunciare, & vim coactivam addere teneatur, quæ res contrahentibus admodum periculoſa eſt, meritò certas ſolennitates Romani adhibuerunt, quibus commonefiant contrahentes, nulla æquitate adjuvari eos poſſe: ſine debitis ergò ſolennitatibus inita negotia ex ſola mente & voluntate contrahentium Jus conſequentia, meritò ut nullam vim obligandi habentia Jure Romano rejecta ſunt. Hinc poſſumus

ſumus demonſtrare, qua de cauſa, in contractibus nominatis, etiam antequam à partium alteræ quid præſtitum ſit, neceſſitas implendi contrahentibus incumbat, nec reſiliri poſſit. Nam negotia certam naturam habentia ſunt ſocietates mutuam indigentiam ſublevantes, quas intercedere inter homines & ad finem perduci ſocietatis humanæ intereſt, & ſi fortaſſe aliqua læſio emerſura ſit, æquitate, adhibito Jure naturæ, quod habent, corrigi poſſunt. In negotiis verò certam naturam non habentibus, quia magiſtratus de iis hoc præſumere non poteſt; meritò antequam ſolennitas debita accedat, aut ab una parte quid impletum ſit, liberum relinquit partibus ſervare, vel reſilire. Quòd ſi verò implementum acceſſit, neceſſe eſt ab altera parte quoque aut impleri, aut pro eo quòd non impletum ſit, intereſſe ſolvere, aut repetendi & condicendi poteſtatem concedi ei qui implevit: ne injuſtè res penes alterum ſit & ille plus habeat. Si ſolennitas debita acceſſerit, ex mera lege, qua pro certa cauſa tantum, vel tantum præſtari Juſtum judicavit promiſſor, obſtringetur.

Imo permutatio] Non ſequitur, quia permutatio ſimplicior eſt & vetuſtior, eam magis naturalem eſſe emptione & venditione. Nam naturale illud magis eſt, quod eſt perfectiùs: atqui numo adhibito menſuratio, quæ naturaliter in commutationibus requiritur, perfectius

ctius fieri & abſolvi poteſt. Mallem autem de permutatione ita ſtatuere, eam vel fieri in hunc modum ut partes æſtiment res permutandas pecuniâ, & cum una alteram ratione æſtimationis æquet, permutationem inſtituere. Tunc enim quia quandam includit emtionem, imò emptio quodammodo duplex eſt cum tali pacto, ut pro pretio res ab utrâque parte quas permutantes emunt ſolvantur; bonæ fidei negotium fit & ex naturâ emptionis dijudicandum. Quando verò nude ut res pro re detur convenerunt partes, in ſolo placito ſubſiſtit negotium, nec vim habet, niſi ſolennitas, quæ adhibêri ſolet, quando hoc agimus, ut nudè ex lege aliquâ obligemur, accedat. Et talis permutatio præſumitur, ſi mentio numi facta non eſt, quia per numum menſuratio hodiè fit. Quamvis ſi implementum accedens negotium peragendum ſit, Iudex adhibitâ æſtimatione ex bono & æquo illud dirimere poſſit. Vnde actio ex permutatione bonæ fidei actionibus annumeratur §. *actionum a. Inſt. d. act.* quando ſcil. ad exemplum emptionis venditionis dijudicatur. His notatis multas, quæ ex Iure civili ſuboriri poſſunt, difficultates decidere licebit.

Nos ergò naturam] Ex prædictis apparet, non ſecundum naturam Autorem procedere, quando negotia nullam definitam naturam habentia cum iis, de quibus conſtat,

quòd

quòd ſint ſocietates ſuâ naturâ commodum hominibus afferentes, quæque certum jus habent, quo diriguntur, confundit.

Aut rem pro pecuniâ] Rei pro pecuniâ permutatio non ſemper emptio eſt, nec in eò natura emptionis ſed in hoc potius conſiſtit, ut, quia pro domo v. g. ſutor non poteſt tot calceos dare quot domum æquant, det ædificatori numos quaſi fidejuſſores, qui numerum calceorũ metiuntur, eundemq; ſecurum reddunt, ut ſi aliquando pro portione aliquot offerat, tot conſequatur calceos, quot opus habet. Et niſi numus ut menſura detur, emptio & venditio in rei veritate non eſt, licet ejus ſpeciem habeat. Par eſt ratio in locatione conductione.

Uſus autem nomine] Videtur Author confundere locationem conductionem, cum uſufructu, quæ tamen duo omninò diverſa videntur, uti in ſeqq. apparebit.

At facio ut des.] Non poteſt ex Authore ratio reddi, quare uſus pro pecuniâ datus & factum quotidianæ utilitatis ſimul ſub locatione comprehendantur.

§. 4. Reſpicit Author ad Jus Romanum, quod contractum illum, quando plures patresfam. negotium ſoli perficere nequeunt, & propterea conveniunt de communicando & conjunctim perficiendo, quod ſoli nequeunt perficere, ſocietatem vocat. Quamvis & reliqui contractus ſocietates quædam ſint.

Sic & in ſocietate] Non propterea ſocietas actus mixtus eſt, quod ab unâ parte interdum pecunia, ab alterâ opera præſtetur; nec enim mixtio ex diverſis præſtationibus eſt colligenda; ſed inde, quando in plura negotia, diverſarum naturarum aliquâ conventione conſentimus. Verum hanc in ſententiam iterum incidit Author, quod inter negotia, quæ certam naturam certumque Jus habent, & inter alia, quæ ex mero placito ſunt, non diſtinguat.

Et in feudali] Vult Author feudalem contractum mixtum vocare ob adjectam pactionem de operis militaribus præſtandis. At in amicitiâ etiam ſimilia pacta occurrere ſolent.

§. 6. Fidejuſsio liberalis actus reſpectu creditoris non eſt; quia fidejuſſores in caſu deficientis ſecuritatis debitæ adhibentur. Per quem actum autem conſequimur id, quo neglecto bonum externum injuſtè nobis abeſt, ille non liberalis eſt.

Pignoris datio] Nec hic contractus actus liberalis eſt; quia malum ob defectum ſecuritatis & metum privationis boni externi eſt removendum.

§. 8. Tradit Author in ſeqq. affectiones contractuum; ex quibus apparet, minus convenienter eum de naturâ eorundem hactenus dixiſſe; quia fabulæ potius videntur legentibus, ſi nil præter ea, quæ Author hactenus, de naturâ contractuum audiverint. At ex naturâ

contra-

contractuum debebant iſta demonſtrari. Quò ergò & examinare ſeqq. affectiones, & per veтas cauſſas eas demonſtrare queamus, neceſſariò de Contractibus & eorum naturâ aliud quid dicendum nobis erit. Quemadmodum verò omnes actiones humanæ ſuas differentias à circumſtantiis recipiunt, ita & contractus ſeu, negotia quæ liberi homines in mutuam ſalutem inter ſe gerenda volentes ſuſcipiunt. Quæcunque ergò gerimus aut ſoli aut cum aliis conjunctim aut per alios perficimus. Circa quæ autem verſamur contrahendo, bona externa ſunt,& potiſsimum quæ numo æſtimari poſſunt. Nam in his beneficio numi licet æqualia ſumere. Bonorum porro externorum alia ita ſunt comparata, ut de uno ad alterum transferri queant, & in his proprie emptio & venditio locum habet. Eſtque adeo emptio, venditio, ſi eam in perfecto gradu conſideres, Contractus, quo bonum externum ab altero in nos transferimus datâ ei in locum boni tranſlati pecunia illud æſtimante. In rebus corporalibus ſeu rebus à naturâ ad hoc productis, ut ſint vitæ noſtræ inſtrumenta emptionis natura perfectiſsimè conſpici poteſt. Si enim v. g. bovem à Titio emo, facultas dirigendi bovem,qui quicquid eſt ipſius eſt vel eſſe putatur, in me à Titio derivatur, & pro hoc æquando,ne Titius quicquam amittat,pecunia, quæ menſura omnium rerum eſt, æſti-

mans illum bovem ei à me datur, quâ velut fidejuſſore Titius ſecurus redditur, ſe, quando hanc alteri offert, alias res ſibi utiles & ratione uſus vendito bovi pares conſequi poſſe. Bonum autem externum circa res corporales duplex eſt, dominium & poſſeſsio, differuntque ut verum & putativum, id eſt, ut actus primus à ſecundo. Nam in dominio accidit ut actus ſecundus abſque primo eſſe poſsit, & pro domino habeatur, qui in veritate non eſt. Hinc rem aliquam corporalem ementes non ſemper dominium conſequimur, ſed poſſeſsionem: venditor enim habens facultatem dirigendi rem, quæ ipſius eſſe exiſtimatur, eam tantum in ementem transfert. Et propterea leges à vendente rem corporalem nihil amplius exigere ſolent, quam ut actum ſecundum dominii putativumq; dominium ſeu facultatem jure domini circà rem verſandi in ementem transferat. Quod ſi enim à vero domino evincitur res èmpta, regreſſus datur emptori adverſus venditorem. Hoc autem ex neceſsitate ita obtinere videtur: ceſſarent quippe multæ emptiones, ſi venditori incumberet dominii traditio, de quo quamvis bonam habeat opinionem, veritatem tamen ipſam clarè demonſtrare nequit. (Rem autem quam quis ſcit propriam, emere nequit *l.* 16. *ff. de contrah. empt.* Nam ſi clarum eſt, dominum quem eſſe, actus ſecundus dominii ſine pre-

ne pretio ei competit ; niſi à non domino poſſeſſio nullo interdicto avocari poſſit, & dominus vindicare rem nolit *l. ſi in emptione.* 34. §. 4. *de Contrah. empt)* Cæterum quemadmodum natura res corporales, ut eſſent hominum gratiâ produxit ; ita & ea quæ ſolo intellectu percipiuntur ratio & prudentia humana conſtituit ; ut quemadmodum in corporalibus dominium & poſſeſſio, ita & in his reperiatur. Sunt enim & hæc hominum gratiâ, & illorum facultati dirigendi ſubjecta. Sed ſi circa hæc fiat emtio venditio univerſum jus tranſire non videtur : hoc enim in perſonis radicatum, & cum aliorum intereſſe conjunctum. Talia ſunt jura in rebus quæ ab aliis & in reſpectu ad alios habemus. v. g. Quando hereditas venditur, venditione eâ hoc quidem efficitur, ut familia illa quæ heredis gratia vel per teſtamentum aut ab inteſtato erat, emptoris gratiâ ſit. Defunctum tamen ratione debitorum heres repræſentat ; quia Creditorum intereſſe in hoc verſatur, atque adeò in ipſius perſonâ hereditas, ut diximus, radicata manet. Sic in uſufructu vendito quoque ita ſe habet, ut per venditionem ille quidem emptoris gratiâ eſſe incipiat, Jus tamen radicetur in perſona cui à domino conſtitutus eſt, eâque moriente intereat. Sic in actione venditâ fit emptor eam ob cauſam procurator in rem ſuam, facultatemque exigendi non

ex

ex ſe, ſed nomine vendentis habet, aut pro ſe ex æquitate utilem actionem. Quædam jura alienari non poſſunt, quia jura in res involvunt reſpectum ad alterum, ut non liceat in alterius damnum hic quid facere. v. g. uſus alienari nequit, quia alius paterfamilias, quàm cui uſus conſtitutus eſt, alirer uteretur, & ita domino aut poſſeſſori, cujus in re ſervitus conſtituta eſt, injuria inferretur. Cæterum emptioni venditioni reſpondet contractus innominatus do ut des, diverſus tamen ab eâ: neque enim ſi dem pecuniam ut alter det domum, ſtatim emptio venditio eſt, ſed niſi pecunia ut æſtimans rem detur, erit negotium nullam habens naturam certam, & proinde nec jus naturæ quo dirigatur. Hæc de emptione & venditione ſufficiant, cujus natura hæc eſt, ut rem ſive corporalem, ſive incorporalem in alium transferat. Cum vero res corporales & incorporales in dominio vel poſſesſione noſtrâ exiſtentes, nihil ſint aliud, quam inſtrumenta quædam vitæ; quia illarum eſſe eſt noſtri gratiâ eſſe & ſubjici noſtræ directioni, tale quid autem inſtrumentum eſt: hinc licebit & alias contractuum ſpecies enucleare eorundemque naturam cognoſcere. Inſtrumentorum vitæ uſus duplex eſt, communis, quem habent omnia, & proprius quem ſeorſim ſingula. Et communis quidem uſus in alienatione conſiſtit, quo ipſa inſtrumenta

menta vitæ noſtræ eſſe deſinunt; circa quem uſum emptio venditio occupata eſt. Uſus autem ſingulis inſtrumentis proprius eſt, ad quem peculiariter ob certam naturam, quam habent, diriguntur. Eorum autem alia quoad hunc ſunt ita comparata, ut ipſo uſu pereant; alia vero ut ſubſtantia ipſorum maneant ſalva; alia mediam habent naturam, ut, licet non pereant, uſu tamen deteriora fiant. Porrò ſunt & alia inſtrumenta, quibus in artibus utimur, eaque habent quidem & hunc uſum cum inſtrumentis vitæ communem, ut alienari poſſint; non tamen proprius illorum æquè ſe habet ac inſtrumentorum vitæ, quia illorum uſus pecuniâ non æquè æſtimari poteſt. v. g. libri habent & uſum communem cum vitæ inſtrumentis, ut vendi poſſint; at uſus eorundem proprius æſtimari nequit. Sic gladii uſus proprius, quando v. g. ad pugnam eum dirigimus, æſtimationem non recipit. Hinc ſi in his quid datur, quo uſum conſequamur, non æquè ut uſus æſtimatur, ſed tantummodo pro deterioratione inſtrumenti illud ſolvitur. Uſus autem inſtrumenti vitæ, quo non abſumitur, vel poteſt concedi determinatus vel non determinatus; ſi pro pecuniâ datur non determinatus uſus, oritur pactum tantum nudum vel implemento vel ſolennitate quâdam veſtiendum; ex mero enim placito dependet nullum jus naturale habens,

quod

quod dirigi poſsit. Hûc pertinet conventio de uſufructu, privat enim dominum vel poſſeſſorem uſu inſtrumenti vitæ, quamdiu alter vivit, cui uſus conſtitutus eſt. Et hinc contractus nominatus quoque eſſe nequit, quia ob incertitudinem vitæ uſus eſt indeterminatus, & proinde non æſtimabilis. Ut ergò contractus nominatus oriatur, neceſſe eſt, uſum determinari vel tempore vel alio modo, & pro eo pecuniam æſtimantem dari: hunc verò contractum locationem conductionem vocant. Porrò emptio venditio in inſtrumentis vitæ ab homine ſeparatis ſubſiſtit; quia conjuncta v. g. manus, pedes, caput alienari nequeunt: at locatio conductio ad inſtrumenta quoque conjuncta procedit, quando uſus determinatus noſtrorum inſtrumentorum conjunctorum ad alium pro pecuniâ ęſtimante transfertur. Hinc artifices operas ſuas locare ſolent. Et talis contractus, licet liberorum hominum ſit, quatenus pro mercede æſtimante operas præſtant, nihilominus tamen ſervile quid includit. Quare ii qui laboribus corporis vitam ſuſtentant, ſordidi & illiberales habentur. Solent autem in Jure Romano artifices etiam conductores dici, ut quaſi duplex locatio conductio videatur; una, quâ quis conducit operas artificis: altera, quâ artifex conducit opus faciendum, uti quidam loqui ſolent. Ex dictis porrò patet, quare v. g. docere philoſophiam pro pecunia

cuniâ nõn ſit locatio conductio,ſed nudum pactum, quod vel implemento vel ſolennitate quâdam firmari debet, quia, cum non ſit uſus inſtrumenti vitæ æſtimabilis, nec pecunia æſtimans pro eo dari poſsit, ſtricti Juris ſit. Sic pro manumiſsione ſervi de pecuniâ paciſci, negotium eſt in mero placito ſubſiſtens, nullam naturam habens certam, nec juris naturæ, quo dirigi poſsit; hinc nec locatio conductio eſt. Hæc de locatiõne. Ut verò ad aliorum contractuum naturam inveſtigandam progrediamur, repetendum, quod antea diximus, alia inſtrumenta vitæ uſu non conſumi, alia uſu quodammodo deteriora reddi, alia vero penitus conſumi. Et quod in uſu illo locatio conſiſtat dixĩmus. Pro deterioratione autem aliquid dari damnum recompenſans ad contractus fortaſſe non referendum. Nunc & de uſu quo res conſumuntur aliquid dicendum reſtat: ſunt autem quædam vitæ inſtrumenta, quæ in genere functionem recipiunt. i. e. de quibus parum ſolliciti ſumus, an hanc vel illam ſpeciem habeamus, modò in certâ qualitate & quantitate, quæ pondere, numero, menſurâ determinatur, nobis ſuppetant. Et horum uſus non poteſt pecuniâ æſtimari, quin potius inſtrumentum ipſum, quod uſu illo conſumitur, ſub æſtimationem veniret: incideretque negotium in emptionem venditionem. Sed quod ad talem uſum datur, ita

ita dari poteſt, quò contractus oriatur, ut alia ſpecies ejuſdem bonitatis & quantitatis reſtituatur. Mutuum ergo Contractus eſt, quo res in certo genere fungibilis pondere, numero, menſurâ definita alteri ad abuſum conceditur, ut alia ſpecies ejuſdem generis &c. reddatur.

Diximus ſuprà Inſtrumentorum quorundam uſus, quo non pereunt aut deteriora fiunt, alios æſtimabiles eſſe, alios æſtimationem commodè non recipere: æſtimationem non recipiunt uſus illi vel ex ſuâ naturâ, vel propter amicitiam prohibentem recipere uſus æſtimationem. Et hîc iterum ne inæqualitas & querela oriatur, cùm uſus non æſtimetur, neceſſe eſt ita rem datam ad uſum reſtitui, ne ullâ utentis negligentiâ deterior facta ſit. Nam cùm omnes homines naturaliter teneantur ad hoc, ne ipſorum culpa res alterius deterior fiat, multò minus poterunt excuſari, ſi velut amicis ad uſum res data culpâ eorum deterior reddita ſit, aut planè perierit. Commodatum ergò eſt Contractus, quo ad uſum quendam non æſtimatum, determinatum tamen, quid datur, ut uſu finito nullâ culpâ utentis deterioratum reſtituatur. Simile commodato eſt precarium, ſed differt ab eodem, quòd uſus in commodato determinatus detur, & ad illum uſum correſpondens cuſtodia & cura inſtrumenti. In precario verò, quia nullus eſt uſus certus & determinatus,

minatus, Ergo nec cuſtodia vel cura ei correſpondens determinari poteſt. Quodlibet namque Inſtrumentum ad certum uſum requirit certam & determinatam curam & cuſtodiam. Hi contractus ſunt circa uſum inſtrumentorum vitæ: accidit verò & extra uſum eadem eſſe ſub ſolâ cuſtodiâ. Et tunc ſi nos ipſi cuſtodire vel nolimus vel nō poſſimus, aut pro mercede damus ea cuſtodienda, inciditque negotium in contractum locationis conductionis, aut gratis cuſtodiam alter recipit, & tunc, quo certum quiddam per naturam definiri poſſit, neceſſe eſt ita in cuſtodiam alteri dari rem; ut ratione cuſtodiæ ſit in numero rerum illius. Et tunc niſi ut res ſuas eam cuſtodiat, conveniri poteſt. Et quamvis depoſitarius objicere poſſit, nihil ſe pro cuſtodiâ accipere, cauſſa tamen debendi ſubeſt, amicitia nimirum. Eſt ergò depoſitum contractus, quo rem noſtram rebus alterius familiæ jungimus cuſtodiendam, & quidem ſine mercede.

Diximus ſuprà, nos ſolere negotia conjunctim cùm aliis gerere: Conjunctio autem plurium circa idem gerendum κατ᾽ ἐξοχὴν ſocietas appellari ſolet. Et hic contractus ex Juſto diſtributivo dijudicari naturaliter debet, habetque adeò certam naturam, ut pro portione, quâ quiſque contulit aliquid in ſocietatem, lucrum conſequatur.

Per alios quæ gerimus negotia, aut fiunt per

per amicos quando voluntate noſtrâ amicus noſtram induit perſonam, geritque negotium in eum modum ac ſi nos geramus. Et hic contractus iterum nominatus ſit; quia quid unaquæque pars alteri debeat, ex naturâ negotii cognoſci poteſt. Mandatarius enim gerere debet accuratisſimè ad voluntatem mandantis; quia perſonam ipſius induit. Mandans verò de impenſis mandatario tenetur. Pro operâ ſi quid datur negotium in locationem conductionem incidit.

Interdum & per ſervos negotia gerimus, ſed inter nos illoſve contractus non intercedit, cum ſint noſtra inſtrumenta. Quando verò ex contractu eorum per quos negotia gerimus, obligamur, non ex peculiari contractu ſed quaſi ex noſtro obligamur.

Hinc Exercitoria, Inſtitoria, quòd juſſu qualitates potius actionum ſunt, quàm actiones ex peculiaribus Contractibus originem ducentes.

Omnibus bonis externis accedit ſecuritatis ratio. Ergo & contractibus, quæ de bonis externis ſunt, alii contractus velut acceſſorii circa ſecuritatem jungi poſſunt. Oriuntur autem & hinc contractus nominati ſeu certam naturam habentes, cujuſmodi ſunt Fidejusſio & Pignus. Quando incertum periculum eſt, ad illud avertendum contractus nominatus iniri nequit, ſed, ſi quid fiat, ex mero eſt inſti-

tuto.

tuto. Hinc Aſſecuratio contractus nominatus non eſt, ſed ſtricti Juris,& proinde ſolennitate quâdam firmari debet.

In Contractibus] Quia contractus in iis verſantur, in quibus eſt Juſtum particulare; hoc verò medium & æquale quærit: In contractibus ergò æquale obtinebit, ſed non omnibus, verum iis tantum, qui ità inſtituti ſunt, ut æquale reperire liceat: tales verò ſunt contractus nominati & quos bonæ fidei JCti Romani vocant, ex quorum naturâ ſecundum proportionem æquale cognoſci poteſt. Nam in innominatis & ſtricti Juris contractibus voluntarium tantum Juſtum eſt. Hinc iterum apparet Authorem malè confudiſſe nominatos & innominatos Contractus. Fruſtrà enim in pactis nudis & contractibus innominatis, ſtipulatione item, quis æqualitatem quæret; ſed neceſſe eſt, in placitis & voluntate hominum ſubſiſtatur.

§. 9. Ad æqualitatem refert, ut quis vitia rei, de qua agitur, ſignificet ei cum quo contrahit. Hoc verò per cauſſam proximam non demonſtrat: quod apparebit, ſi ſyllogiſmum in formam redigamus, eſtque talis:

> Inter quos propior eſt quædam ſocietas quam quæ communis eſt hominum, eorum alter alteri vitium rei, de qua agitur, ſignificare debet.
>
> Inter Contrahentes ea reperitur. E.

Licet

Licet enim propior ſocietas magis aſtringat homines, an tamen præciſè ad hoc neceſſitatem imponat, ut ſignificare teneatur contrahens ad quod ſignificandum aliàs non teneretur, id adhuc dubium eſt.

At non idem] Negat idem dicendum de his, quæ rem non contingunt: v. g. ſi venditor frumenti ſciat multas naves in curſu eſſe quæ frumentum advehunt. Ratio iterum inſufficiens eſt, quam aſſignat; quia nimirum non pugnat cum Jure ejus, qui cum negotium geritur.

Quin imò petitio principii eſſe videtur; quæritur enim ratio, quare cum jure ejus cum quo contrahimus non pugnet tale quid reticere. Verum quæ Author proponit quorumdam contractuum propria ſunt, & ex natura eorum demonſtrantur, ita circa emptionem venditionem, quod vendens Jure naturæ vitium latens ſibi compertum indicare teneatur emptori, demonſtrabimus hac ratione:

> Qui ſciens pro vitioſa re ſumit id quod æſtimat non vitioſum, ille plus conſequitur alteri minus relinquens. Hoc vero injuſtum eſt: ex definitione Injuſti particularis. *lib.* 5. *Ethic.*
>
> Venditor non indicans vitium rei vendendæ emptori, pro re vitioſa ſumit quod æſtimat non vitioſum.

E. Ven-

E. Venditor plus conſequitur, emptor minus. Illud autem inęquale oritur venditore ſcientiam habente nec indicante. Quod ſi & emptor ſciverit vitium latens,& tamen de ſolvendo eo, quod pro non vitioſo dari ſolet, pactus fuerit, ex lege Juſtum oritur, nec venditor injuſtus dici poteſt. Hìc gradus culparum quoque obſervandi eſſe videntur: ſi enim alter contrahens ignorantiæ cauſſa exiſtit, habet & is quod ſibi aſcribat. At ſi quid rem non contingat, vi contractus venditor ſignificare illud non tenetur; nec id ex natura emptionis demonſtrari poteſt: ſed officium amicitiæ & caritatis neceſſitatem ſignificandi imponere videtur.

§. 10. Sine ſenſu videtur Author loqui,quando non modo in intellectu rerum,ſed & in voluntatis uſu quandam inter Contrahentes æqualitatem obſervari debere ait. Quod de metu dicit, quaſi inde contractu perfecto inæqualitas oriatur, id ad contractus æqualitatem referri nequit; ſed ad delictorum materiam pertinet: læditur enim is, cui metus incutitur ut contrahat, non ex contractu, ſed ex delicto.

§. 11. In ipſo actu principali hoc requiri dicit, ne plus exigatur, quàm par eſt. At quomodo illud quod par eſt in innominatis inveſtigari poterit contractibus? Id enim in ſolis nominatis procedere oſtendimus. Deinde male

lè Author excipit Contractus, quos actus beſicos vocat: ſupra enim declaratum eſt, ex quo fundamento æqualitas in commodato dependeat: licèt enim ratione mercedis pro uſu gratuitus videatur & dicatur contractus; eſt tamen in eo quiddam æquale: diligentia enim curæ & cuſtodiæ pro determinato uſu adhibendæ. Gemina de mandato & depoſito in præcedentibus tradidimus.

§. 12. Quando utroque ignorante vitium latet, ſtricto jure nihil videtur de pretio reſtituendum, quia & reſpectu ementis & vendentis pretium fuit debitum æſtimans mercem: æquitas tamen quandoque aliud ſuadere poteſt.

§. 13. Delabitur Author paulatim in noſtram ſententiam, ſtatuens in Mandato & Commodato quandam æqualitatem eſſe; quæ qualis ſit ex præcedentibus patet.

§. 14. Tradit Author indigentiam non unicam eſſe menſuram rerum commutandarum cum voluntas hominis interdum multas res præter neceſſitatem deſideret. At notandum, commutationes & negotia humana duplici jure dirigi, naturali & legitimo. Naturale jus eſt illa proportio geometrica, de qua Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 8. agit, cujus fundamentum eſt indigentia communis. Legitimum verò à voluntate paciſcentium dependet: ſolent enim contrahentes pacta con-

tractibus

tractibus adjicere, quibus diriguntur; & quod ea pacta faciendum dictitant, ex voluntate contrahentium juſtum eſt. Nuſpiam tamen in paciſcentibus ratio indigentiæ ceſſat; ſed quia diverſitas ejuſdem in ſingulis hominibus pro ratione circumſtantiarum oritur, etiam ſingulis contrahentibus permittitur leges contractui ſuo dicere. Dicta ab Authore ex Plin. & Cicer. citata non hoc probant, aliam rerum eſſe menſuram præter indigentiam; ſed hoc tantum innuunt, oriri interdum eam, ex fine abſolutè non bono, quæ tamen per hoc non deſinit eſſe indigentia. Nam indigentia quædam neceſſitas eſt obtinendi medii, quod abeſt, pro conſequendo fine. Dicerem ergo indigentiam potius dividendam, quòd alia proveniat ex inordinato aliquo appetitu cujuſdam mali ſub boni apparentia pro fine habili; quæ naturaliter non rectè permutationes rerum metitur; aliam verò eſſe ex appetitu ejus quod revera bonum eſt; & ex hac naturaliter pretia determinanda eſſe, ut juſta ſint. In ſingulis autem civitatibus id juſtum pretium eſt, quod plerumque indigentia æſtimat.

Soletque ſubitò] Copia & paucitas ementium, merciumque mutat pretium propterea, quia indigentia metitur res permutandas: at copia & paucitas ementium & mercium indigentiam mutat, ut per hoc major & minor

fiat: neceſſe ergo eſt per eadem pretia quoque mutari.

Cæterum poſſunt] Indigentia in ſingulis hominibus eadem non eſt: hinc ratione ſingulorum & pretia variant: adeoque determinatio pretii pactis & legibus contrahentium relinqui & committi ſolet: ſed his tamen privatorum pactis in benè conſtitutis Rebusp. terminus præfigi ſolet, ne nimium à communi æſtimatione divagentur. Et hac in re fundata eſt *l.* 2. *&* 8. *C. de Reſcind. Vendit.* Ex his & illud declarari poteſt, quomodo intelligendum ſit, quod *l.* 16. *§.* 4. *de minor.* dicitur, naturaliter conceſſum eſſe, ut alter alterum circumveniat: i. e. ut venditor ab altero pro re vendenda ſumat, quod dandum emptori affectio dictitat: licet à communi æſtimatione recedatur.

§. 15. Quid de tranſlatione dominii ſola lege ſeu pacto ſine traditione facta ſentiendum ſit, ſuprà monuimus.

Quod ſi actum ſit] Quando venditor pacto ſibi dominium ad certum tempus reſervat tradita tamen poſſeſſione, res vendita non commodo venditoris permanet: habet enim emptor jura tunc dominii, quamvis ipſum dominium in venditione ſit radicatum, non aliter ac ſi uſufructuarius, vendens uſumfructum alteri, in ſe retinet dominium uſusfructus, eidem jura dominii tradendo. Uti verò

hoc

hoc caſu non commodum, ita nec periculum ad venditorem ſed potius ad emptorem pertinere videtur. Præſtatio ut habere liceat, item evictionis, ex natura venditionis eſt, quia jura dominii in emptione potiſſimum pecunia æſtimantur: neceſſe eſt ergò & ea præſtari. Quare verò poſſeſſione tradita & juribus dominii præſtitis ſoleant leges contentæ eſſe circa venditionem, rationem ſupra reddidimus: ceſſarent enim aliàs emptiones venditiones, ſi dominia eſſent præſtanda; quare ut promoveantur, ſufficit in venditore, ſi præſtet *habere licere* & evictionem.

Item quod res periculo] Rem poſt venditionem periculo emptoris eſſe etiam ante traditionem, hanc habet cauſſam; quia per legem venditoris rei venditæ dictam, illa incipit eſſe emptoris, actus vero ſecundus tantummodo reſtat præſtandus à venditore, quam ob cauſam etiam traditio neceſſaria eſt. Cùm ergo hoc ita ſit, neceſſe eſt, eam & perire emptori cujus eſt: nec venditor ulterius tenetur, quàm ad præſtandam poſſeſſionem; à qua tamen abſolvitur, ſi ſine culpa ipſius acciderit, ut præſtare eam nequeat. Eatenus enim quandam dominii partem videtur venditor retinere, quatenus facultatem habet rem dirigendi, ut actus ſecundus dominii circa eam competens in emptorem transferatur. Et quia ad plenariam dominii tranſlationem tantum,

ut ſc. alter actu fiat dominus, Jura civilia traditionem requirunt; non mirum eſt periculum emptoris eſſe antequam actu dominium in eum ſit tranſlatum.

Illud quoque ſciendum] Emptio venditio contractus eſt, qui facto unius partis reſcindi nequit: & ideò priorem potiùs venditionem ratam dicerem, licet rem venditam poſtea venditor alteri tradiderit; quia propter obligationem venditoris neceſſitas tradendi eidem incumbit, & dicta lege res cœpit eſſe vel quaſi eſſe emptoris gratia. Quamvis non parum huic ſententiæ obſtare videatur. *l. ſive autem. 9. §. 4. de Public. in rem act.*

§. 16. Non ſequitur, monopolia naturaliter eſſe juſta, quòd à magiſtratu interdum concedi poſſint, ſumpta mercede. In civilibus enim id naturaliter dicimus obtinere, quod plerumque ita ſe habet. Monopolia autem cum injuria plerumque ſunt conjuncta: cum non omnes actiones ex fine æſtimentur, & finis monopoliorum plerumque ſit ſibi plus ſumere alteri minus relinquere: naturaliter monopolia injuſta dicimus, non quidem in quæ ex accidenti incidimus (de his enim ſermo non eſt) ſed quæ ex propoſito ſuſcipimus.

§. 17. Negat pecuniam naturaliter in materia ſola aut forma ſeu ſpeciali appellatione functionem recipere, ſed uti loquitur, in genere magis communi, qua ſcil. comparatur

ad

àd res aut omnes, aut maximè neceſſarias. At munus pecuniæ I. in hoc conſiſtit, ut ſecurus reddatur is, cui ea datur, ſe tantum vel tantum pro ea conſecuturum eſſe. Hæc ſecuritas non aliundè quàm à materiæ raritate dependet. Si enim quælibet adhiberetur materia, ſubitò uſus pecuniæ ceſſaturus eſſet: forma ſeu appellatio propter alterum metiendi nimirum officium adhibetur, ut certi ſimus de quantitate. Et cum in menſurando & quaſi fidejubendo functio pecuniæ conſiſtat, in his duobus conjunctim materia ſcil. & forma videtur eadem naturaliter functionem recipere. Quod verò Author dicit ex comparatione ad res functionem nummi dependere, qua de cauſſa & ſecundum rerum copiam valor nummi mutetur & imminuatur, id mera deceptio eſſe videtur; quia pecunia potius indigentiam æſtimat rerum, quam res ipſas, dum res metitur ſecundum indigentiam: unde valor ejus idem permanet; ſed quantitas ratione indigentiæ circa eandem rem augetur vel minuitur; quò enim major eſt rei indigentia, eò plus pecuniæ dandum. Non enim menſura pecuniæ ad rem ipſam, ſed rei indigentiam ſpectat, *add. tractat. meum de Mutuo.*

§. 18. Putat Author uti naturaliter res domino perit, ita & uſum rei perire conductori: ſufficere enim, ſi facultatem utendi tradiderit; hanc enim pecunia æſtimari putat, quæ ſolvi-

tur. At non facultas utendi, ſed ipſe uſus æſtimatur pecunia, quæ æſtimatio tamen aliter procedere nequit; niſi ſumatur uſus prout communiter natura concurrere ſolet (Nam in inſtrumentis & potiſſimum iis, quæ ad vitam nobis data ſunt, quando ad uſum quo non conſumuntur, diriguntur, multum natura juvat, quod in agricultura, paſtura &c. cernere licet) & opera hominis quoque communiter. Quod ſi, prout mediocriter diligentes patresfamilias ſolent, conductor in dirigendo ad uſum inſtrumento curam non impenderit, ſibi aſcribere debet, quando uſum debitum non conſequitur. At quando natura opem quam vulgò confert denegavit; injuſtum eſt conductorem pecuniam ſolvere debere, quæ æſtimet uſum productum, quando natura, uti ſolet communiter, ad directionem inſtrumenti concurrit, pro uſu producto ab inſtrumento quod à natura deſtitutum eſt. Præterea in fundi locatione locator videtur etiam fieri conductor operæ circa fundum, atque adeò naturaliter juſtum eſt, ut de pecunia æſtimante uſum tantum remittatur à locante fundum, quantum Colono pro opera debetur. Unde operam potius locat Colonus circa fundum conductum, non propriam ſibi facultatem utendi habet. (Et in hoc quoque ab uſufructu differre videtur.) In emphyteuſi tamen hoc obtinet, ut emphyteuta ſit dominus uſus,

dominus

dominus directus rei. Vera eſſe, quæ diximus, ex hoc quoque perſpicere licet; quod inſtrumentum vitæ conceſſum alteri ad uſum non deſinat eſſe locatoris, & cùm ipſius ſit, etiam quicquid circa illud fit, eidem fieri cenſendum eſt: deſertum ergò à natura ut uſum, quem communiter ſolet, præſtare nequeat, ipſi quoque damnum affert.

§. 19. *Quod ſi una opera*] Ratio eſt, quia ſinguli conſequuntur uſum qui recipit illam æſtimationem, unde conqueri non poſſunt; ut adeò ex Juſto particulari injuria dici nequeat. At fortaſſe ex univerſali Juſto reprehenſionem meretur: vitioſum enim eſt, & ex avaritia proveniens; non contentum eſſe pecunia uſum æſtimante, nec inter eos, quibus opera præſtatur, dividere ſolutionem velle.

§. 20. Quæſtionem movet Author de Uſuris Mutuo adjectis, an licitæ ſint vel illicitæ Jure naturæ. Sunt qui defendunt naturali Jure illicitas eſſe uſuras, ad quorum argumenta Author vult reſpondere. Primum eſt.

Qui contractus gratuitus eſt ſua natura, ei uſura, velut pecunia æſtimans uſum, adiici nequit. Mutuum eſt gratuitus contractus. E.

Reſpondet Author, non ſequi, ſi de aliqua re contractus gratuitus ſit, de eadem non poſſe & ſuſcipi contractum non gratuitum. Atque id ex commodato oſtendit, cùm pro

uſu qui in commodato gratis datur mercedem exigere non ſit prohibitum, licet tunc negotium in alium contractum incidat. Verum in commodato datur gratis ille uſus, quo res non conſumitur, qui in vitæ inſtrumentis etiam æſtimationem recipit, atque adeo ſub æſtimatione dari poteſt. At in mutuo datur uſus quo res conſumitur ſub æſtimationem non cadens, æſtimanda enim potius eſſet res ipſa, & negotium caderet in contractum emptionis venditionis. Secundum argumentum.

Quod ſua natura ſterile eſt, contra jus naturæ pro fructuoſo habetur.
Pecunia ſua natura ſterilis eſt. Ergo

Reſpondet Author, poſſe res ſua natura ſteriles hominum induſtria fructuoſas fieri: domos enim & res alias infæcundas hominum induſtria fructuoſas redditas. Verum domus res eſt uſum habens, quo non conſumitur & quidem æſtimabilem. At pecunia uſum habet tantum eum quo conſumitur, quem æſtimare non licet. Quare & Author tandem fatetur, uſum quo res conſumitur æſtimationem non recipere, ſed jus illud poſt certum tempus reddendi pecuniam aut aliam rem quæ in genere functionem recipit, æſtimari poſſe ſtatuit. At carentia rei illius quæ uſu conſumitur, ex ſe æſtimationem non recipere videtur, imprimis pecuniæ; quia aut mutuo dans indiget ipſe

ipſe pecunia ad uſum, ut emat quippiam, & vix invenies eo caſu mutuo dantem, aut ſi facit, intereſſe, quod nunc non uti queat, conſequetur, aut non indiget ea, & nihil æſtimari poterit. Hinc in mutuo rectè videntur JCti Rom. ſtatuere, quod ex mora non uſuræ ſed intereſſe potius debeatur; adeo, ut ſi mutuo dans non demonſtret, quanti interfuerit non accepiſſe, nihil conſequatur. Quia in bonæ fidei judiciis ob pecuniam non debentur uſuræ ſemper, ſed in ſocietate potius quanti intereſt moram in pecunia ſolvenda factam non eſſe. *l. ſocium* 60, *ff. pro ſocio.* In mandati judicio uſuræ non debentur, cum dominus pecuniam non fœneravit. *l. qui ſemiſſes.* 13. §. 1. *ff. de uſur.*

Quæ vero à Catone] Dicit Author quæ à Plutarcho & aliis autoribus circa uſuras diſputantur reſpicere non tam quod uſuris intrinſecum eſt, quam quod plerumque iis adeſt. At affectiones vitioſæ, quæ plerumque rebus inſunt civilibus, arguunt eaſdem eſſe vitioſas: ex natura enim vitioſa fluunt, quia id naturale eſt in civilibus, quod ut plurimum rei competit; fatetur ergò Author naturaliter injuſtas & vitioſas eſſe uſuras.

Sed quicquid hac de re] Chriſtianis prohibitas eſſe uſuras, rectè videtur Author ita probare: Quicquid Deus Hebræis inter ſe ipſos prohibuit, illud & inter Chriſtianos merito prohibitum eſſe debet. Atqui uſuras Deus prohibuit

hibuit populo Hebræo: Ergo &c. Nec quicquam ad rem facit reſponſio, quod Hebræi conſanguinei & propè fratres fuerint, aucta ſubito in tantum numerum familia. Quod ſi enim intermiſſionem uſurarum, ut caritatis officium, Deus Hebræis præcepit ob ſanguinis junctionem, multo magis id officium decebit Chriſtianos velut membra ejuſdem corporis, cujus caput Chriſtus eſt, quorumque nota eſt caritas mutua. Multò levius eſt, quod reſpondent quidam: eſſe quidem honeſtum, ab uſuris abſtinere, non tamen neceſſarium. Nam omne, quod honeſtum eſt, Chriſtiani ſectari tenentur; fugere quovis modo, quæ ab honeſtate recedunt.

§. 21. Rectiſſime Author notat, quædam habere uſurarum ſpeciem, licet uſuræ non ſint. Atque ita merito ſub uſuris non continentur, quæ ad damnum rependendum ex carentia pecuniæ mutuanti dantur; multo minus quæ ut ἀντίδωρα pro beneficio eidem exhibentur. Quapropter cum naturaliter uſuræ in mutuo deberi non videantur, ſed tantummodo intereſſe aliquod, ne mutuando detrimentum capiat creditor, accidat vero ad uſuras uſque ſe extendi illud; velut ex placito & ſtricto jure non natura negotii provenientes uſuras ſtipulari juſſere Romanæ leges. Et licet fortaſſe propter jus voluntarium, quo dirigi contractus præter jus naturæ ſolent, mutuum, cui acceſſit

ceſſit uſurarum ſtipulatio, injuſtum dici nequeat, ſi jus particulare reſpicimus, quia fieri poteſt, ut quandoque ipſe mutuans ad uſum pecunia indigeat, quandoque non: nihilominus tamen, qui omnem ſuam pecuniam fœnori dat, in odio eſſe ſolet & reprehendi, quia aliorum labore & periculo diteſcere vult, injuſtuſque omnino eſt. In pupillis, qui ſibi nec proſpicere, nec curam gerere rerum ſuarum poſſunt, hoc ceſſat, item iis qui Eccleſię & Scholis inſerviunt: hi enim ſalaria ſua mediantibus uſuris conſequuntur. At ſi ipſi pecuniam fœnori dant, & quod lucrum facere non poſſunt aliorum cura & periculo ſibi acquirunt, non dubium eſt peccare.

§. 22. Quare jus Romanum non niſi mediante ſtipulatione uſuras in mutua pecunia admittere noluerit; in tractatu noſtro de mutuo latius exponitur.

§. 23. Contractus aſſecurationis tanquam nominatus nullam certam naturam vel æqualitatem habet, ſed à mera dependet contrahentium voluntate. Qua de cauſa non ex inæqualitate ille fit nullus, ſi periculum nullum ſubeſſe, & rem ſalvam eſſe, qui ſecuritatem pręſtat, ſciverit: ſed quia in dolo eſt & ſine cauſa lucratur, qui ſecurum præſtat alterum in re, quam novit extra periculum eſſe. Fortaſſe quis dicere poſſet, Aſſecurationem eſſe quandam ſecuritatis venditionem, & habere cer-

tam naturam, quod perpendendum in medio relinquimus.

Fundamentum diſtributionis in ſocietatis contractu eſt juſtum diſtributivum, in quo fit, ut totum ex ſingulis perſonis conferentibus pecuniam ad totum lucrum, ita ſinguli conferentes ad ſuas partes.

Ut quis damnum] Servile planè eſt, alterius gratia tantum eſſe & non una ſui cauſa negotium ſuſcipere. Hinc contractus ſocietatis de ſolo damno participando nullus eſt.

§. 26. Tradit Author in iis quæ propoſuit, jure gentium nihil immutatum eſſe præter hoc, quod inæqualitas rerum in quam conſenſum eſt pro æqualitate habeatur. Sed notavimus ſupra, contractus duplici jure dirigi, naturali ſcil. quod eſt æqualitas ſecundum proportionem, quam Ariſtoteles tradit lib. V. Ethic. & voluntario ſeu legitimo, quod à conſenſu partium dependet. Pacta enim contractus informantia ſunt leges quædam privatorum dirigentes eoſdem; & quicquid iis continetur juſtum legitimum ſeu voluntarium eſt. Quare autem & privatis poteſtas concedenda fuerit inter ſe leges conficiendi, quibus negotia dirigerent, cauſa hæc eſt, quia indigentia reſpectu ſingulorum non eſt eadem; quare & ſingulis ſingula aut pluris aut minoris quam communiter fieri ſolet, æſtimare licet.

Hoc enim eſt quod ait.] Explicat. *l.* 16. §. 4. *de*

4. *de Minor.* quidque velit Pomponius, quando inquit, licere ſe in conventionibus naturaliter circumvenire; quaſi naturaliter idem ſignificet, quod permitti; ut nullum contra proditum ſit remedium. Sed oſtendimus ſupra §. 14. unde juſtum illud proveniat: quanta enim in contrahente indigentia fuerit, pactum declarat, & quia major fuit indigentia, etiam majus pretium rectè promiſit, quo æqualitas ſervetur: ſingulæ enim res ex indigentia menſuram capiunt.

CAP. XIII.

DIximus *præced. c. n.* 8. Acceſſorios contractus eſſe, qui ex ſecuritate originem capiunt; hanc eandem cum iis cauſam habet Jusjurandum; ad ſecuritatem enim negotiis adhiberi ſolet. Et hæc ratio eſt, quare apud omnes populos & ab omni ævo circa pollicitationes promiſſa & contractus maxima fuerit vis jurisjurandi. Securi enim reddimur, facturam perſonam, quod in ſe ſub amiſſione maximi boni, gratiæ nim. Numinis æterni, qua amiſſa ſalvus eſſe nemo poteſt, præſtandum ſuſcepit. Quemadmodum enim pignoris loco dantes rem nobis caram, omni opera ſtudemus ſatisfacere creditori, ne eandem amittamus:

mittamus : ita quæ præſtanda ſub periculo amiſſionis gratiæ divinæ promiſimus, nullo modo negligemus, cum evitare omnibus modis illud velimus. Pertinet huc dictum Dionyſii Halicar. *Ultima*, inquit, *fides inter homines tum Græcos tum barbaros, quam nulla delebit ætas, eſt ea, quæ per jurata pacta ſponſores adhibet Deos.* Hinc definiri poſſe videtur Juramentum, quòd ſit actus quo ſub amiſſione gratiæ divinæ velut ſummi alicujus boni alterum ſecurum reddimus de præſtando eo quod non præſtitum iri à nobis alter metuit. Interdum & fit, ut quis ſibi ipſi juret; ſed tunc ſcinditur quaſi homo in duas perſonas ob appetitum & rationem; & vel rationi vel appetitui ſecuritatem parat de aliquo præſtando. Ratio enim non ſecura de omittendo eo quod vitioſum eſt, tormenta excitat quibus ut homo liberetur, ſub amiſſione maximi boni ipſe ſemet ipſum ſecurum reddit. Et talia juramenta quæ pro ratione ſunt omninò ſervari debent; quæ pro appetitu contra rationem fiunt, levitatem arguunt, & pœnam merentur.

§. 3. Videntur quæ Author proponit ex noſtra jurisjurandi definitione optimè declarari poſſe: licet enim quis verbis iiſdem utatur quibus jurantes ſolent, nec is animum jurandi, nec alter etiam animum recipiendi ab eo jusjurandum habeat; non videtur jurejurando ſe ſtrinxiſſe. Nam niſi per hoc alter ſecurus

curus reddi voluerit, & jurans eum ſecurum facere, juramentum non eſt.

Id tamen hanc exceptionem] Juramentum omne capit vigorem ex mente ejus, cui obligamur; illius enim gratia præſtatur jusjurandum, ut ſcilicet ſecurus fiat. Quomodocunque ergò verba concipiamus, aut ſenſum illorum torqueamus; ſi appareat nos ſecuritatem alteri præſtare voluiſſe, tenebimur; aut Dei vindicta metuenda nobis erit. Ex quo & Auguſtini dictum explicandum eſt, quod periuri ſint, qui ſervatis verbis expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt; uti & Iſidori, quod habetur. *c. quacunque c.* 22. *quaſt.* 5.

Nam quamquam] Jusjurandum naturam negotii non immutat. Quòd ſi ergò exceptio aliqua ob æquitatem oriatur in negotio, quod jurejurando firmatum non eſt, eadem & locum habebit, ſi juramentum acceſſerit. Fieri autem poteſt, ut & ſtrictè rei ſervandæ nos ſubjiciamus & jusjurandum addamus: tunc enim ex negotio naturam recipiens facit illud ſtrictè ſervandum eſſe.

§. 4. *Ex his qua diximus*] Quia exceptio doli omni negotio ſive bonæ fidei ſive ſtricti juris objici poteſt. Jusjurandum eam impedire nequit, cum cuilibet negotio ſuam relinquat naturam, & de eo quod juſte præſtatur, creditorem ſecurum reddat.

Quare

§. 6. Quare jusjurandũ de re illicitâ nõ ſit ſervandum, ratio eſt, quia ob quod factum amiſſurus eſſet gratiam Dei promittens, ad illud faciendum ſub amiſſione gratiæ divinæ alteri ſecuritatem præſtare nequit. Et ſtolidus eſt qui per hoc ſecurum ſe eſſe putat. Peccatur tamen ratione levitatis.

§. 10. Formulæ, quas Author citat, teſtantur, definitionem noſtram benè ſe habere; omnes enim oſtendunt, ſalutem quam ab æterno Numine exſpectare poſſumus quaſi pignus in ſecuritatem tradi. Quod cum curam rerum humanarum habeat & ſocietatem humanam ſalvam velit, etiam eos pœnis afficit & in extremam miſeriam detrudit, qui negotia promiſſa non ſervant.

§. 11. Ex noſtrâ definitione hæc manifeſtò cerni poſſunt Nam quamvis gratia Dei ſummum aliquod bonum ſit, & iratum eundem habere ſummum malum & extrema infelicitas; poſſunt tamen & alia dari bona ſub quorum amiſſione, aliave mala ſub quorum conſecutione reddere ſecurum alterum poſſumus. Hinc per ſalutem Auguſti Romani jurabant, quia amittere Auguſtum totius patriæ extremum eſſe malum concipiebant. Et ita non dubitem, deſignari poſſe certum aliquod bonum per quod juretur, ſed tale tamen eſſe debet, quo ſolus Deus nos privare poterit. (Si enim à magiſtratu auferri poteſt, in pignus ſolet

let incidere) Deinde ut Deus quoque unâ invocetur, quo per oblationem illius boni nos reddat infelices, niſi fiat id, circa quod ſecurus alter redditur.

§. 12. Videtur res declarari poſſe hoc ſimili: quemadmodum ſiquis Regem percuſſurus, alium quendam, qui Rex non eſt percutit, ipſum Regem offendit, eidemque injuriam facit: ita quoque qui per falſum Deum jurat, quem verum eſſe putat & contra juramentum facit, ipſum violat Numen æternum: vilipendit enim gratiam illius, dum ejus, quod credidit verum Numen eſſe gratiam minorem lucello fecit.

§. 13. Neſcio an præcipuus juramenti effectus ſit, præcidere controverſias. Solent enim quatuor ſpecies jurisjurandi tradi. 1. Fidelitatis, quod ſubditi præſtant ſuis magiſtratibus, Vaſalli dominis feudi, per quod ſecuri redduntur magiſtratus ſubditos præſtituros, quæ leges & jura requirunt, nec quicquam, quod perniciosum aut ipſis aut reipublicæ eſſe poſſit, facturos. Et juſtiſſimè quidem tale juramentum exigitur: cum enim vice Dei ſint magiſtratus, meritò etiam curant, ut ſubditi ſub amiſſione gratiæ æterni Numinis, & ſeverâ ejuſdem vindictâ obedientiam promittant. 2. promiſſorium, ex quo male actionem quandam jure naturali oriri putant ad promiſſum conſequendum; quia actio ad promiſſum conſequendum ex ipſo negotio

fluit

fluit; juramentum tantummodo ſecurum reddit ſtipulantem ſeu creditorem. Et hæc cauſſa eſt, quare rectè Jus Romanum actionem deneget ei negotio ex quo alias actio non naſcitur, licet jusjurandum adjectum ſit. Si enim promiſſa non ſervet promiſſor, habebit tormenta conſcientiæ, quæ dictitabit, eum extra Dei gratiam eſſe & maximo bono deſtitui, ſentietque pœnam divinam, quæ Deo committenda erit. Quamvis magiſtratus, cujus officium eſt crimina punire, levitati iſti pœnam conſtituere teneatur, ut ad minimum tales homines è ſocitate civili ejiciantur. 3. Confirmatorium: fieri enim poteſt, ut negotia interdum infirma ſint, quæ facilè evertantur per reſtitutionem in integrum vel reſciſſionem, quod ne metuendum habeat contrahens; juramentum confirmatorium ab altero præſtitum eum ſecurum reddere poteſt. Ex tali jurejurando ſecurus redditur creditor non aliter ac is, cui quid ex obligatione naturali debetur per acceſſionem fidejuſſoris. 4. Deciſorium litis, quod in ſupplementum vel defectum probationis expoſcitur, per quod magis ſecuri redduntur Iudex & altera pars litigans, dicturam partem, quod in rei veritate ſe ita habet. Videmur autem rectius procedere, ſi loco deciſorii, ponamus latius, quod velut genus illius eſt, nimirum aſſertorium juramentum, quo quilibet, qui de veritate teſtari tenetur, ſecuros reddit,

dit, quorum intereſt veritatem noſſe, eos non deceptum iri, ſed veritatem comperturos eſſe, & ita effectus, quem Autor velut præcipuum aſſignat jurejurando, competit ei, quod deciſorium vocari ſolet.

§. 14. Attigimus præced. §. quęſtionem, an etiam jusjurandum pariat homini obligationem cui juratum eſt. Diſtinguit Autor, an verba juramenti ſint concepta non ad Deum modò, ſed & ad hominem: hoc caſu jus quæri etiam homini. At profectò jus non quæritur homini, ut coram magiſtratu exinde agere poſſit, niſi negotium ſit tale, quod ad pariendam obligationem efficax ſit, præcipuè in promiſſorio jurejurando: at in confirmatorio aliquid addit obligationi, adeo ut qui jure civili conveniri non poſſit, per hoc ad præſtandum, quod debet, adigatur. Si tamen perjurus fiat promiſſor, nemini niſi Deo perjurium committi poteſt; magiſtratui tantum, quoad hoc, ut vitium hominis, levitatem nimirum, puniat. Quemadmodum enim pignus aut fidejuſſio adjecta negotio, ex quo quis non debet, efficere nequit, ut negotium obligationem producat, & quidem ex pignore adverſus debitorem. Ita nec juſjurandum actionem peculiarem operari poteſt, ſive verba hominem reſpiciant, ſive non. At in confirmatorio accidit, ut quod ſine jurejurando non exigi poterat, ad id adigatur promittens, non

ſecus

ſecus ac fidejuſſor pro obligatione naturali tenetur.

Hujus rei exemplum] Iuramentum vi extortum ſeu quando metu injuſto cauſa promiſſioni juratæ data eſt, non quidem videtur hoc efficere, ut jurans efficaciter obligetur: Uti enim fidejuſſor qui tali contractui accedit, non jure aſtringi ad ſolvendum poteſt, multò minus ex injuſto contractu juſtum efficit: ita nec juramentum ex injuſto contractu juſtum faciet. Adeoque Deus tanquam injuſti oſor, ob non ſervatum contractum injuſtum nemini gratiam ſubtrahere videbitur. At cùm contractus in bonis externis verſentur: ſatius eſt, aliquid de iis amittere, quam de amiſſione gratiæ Dei ſcrupuloſam ſibi conſcientiam facere, licet injuſtè alter accipiat.

§. 15. Idem quod præcedenti §. monuimus, hîc repetimus: ratio autem Authoris nobis non ſatisfacit: licet enim jusjurandum voti nomine nuncupetur; non tamen propterea cum ipſo Deo negotium intercedit principaliter, ſed tantùm acceſſorie, ut alter ſit ſecurus. Injuſto vero homini non videtur Deus ſecuritatem præbere per denegatam pio homini gratiam ſuam. nec ergo ex tali jurejurando quicquam metuendum opinari licebit. Uti enim magiſtratus re pignori data non privat eum, quem videt injuſte debere. Ita nec Deus efficaciam tali jurejurando addit.

Nam.

Nam omnis promiſſio ad obligandum efficax in cauſa conſiſtit, quâ deficiente vix ullo acceſſorio efficaciam addes. Piratis ergo licet promiſeris quid, ne te occidant, non tamen teneris, ſed datum quoque repetere potes; quia turpiter accceperunt & per conſequens ſine causâ. Interim rectius conſcientiæ conſules bona externa ſpernendo, dandoque aliis quod promiſiſti, quàm ut patiaris conſcientiæ ſcrupulum moveri.

§. 16. Perfido in eodem negotio fides ſervanda non eſt. Ratio, quia omnis promiſſio in aliqua cauſa fundatur, qua ceſſante neceſſe eſt & promiſſionem nullam eſſe, & per conſequens quoque acceſſorium. Repromiſſio autem facta cauſſa promiſſionis eſt. E. ea ceſſante, & repromiſſionem nullam eſſe manifeſtum evadit. Quod ſi vera eſt ratio Authoris, quâ utebatur præced. §. de ſervandâ ſide piratis, quia nimirum cum Deo ipſo negotium ſit, quomodo à frangente fidem jurans liberari poterit?

§. 17. Quod ſi quis alteri ſecuritatem præbuit jurejurando, neceſſe eſt eodem modo hæredem teneri, ac ipſe defunctus, quia defunctum repræſentat. At ſi ipſe ſibi juravit, rationi ſuæ ſecuritatem præſtando, hæres de eo non tenetur, quia non repræſentat defunctum in eo, qualis erga ſe ipſum fuit.

§. 18. *Sicut nec tenebitur*] Eatenus & tali tenemur

tenemur ex jurejurando quatenus & quali juravimus. Juſtum enim omne in univerſali propoſitione conſiſtit, & ſemper aliud ſub ratione univerſalis obligamur, non individuo quatēnus individum,ſed quatenus emptor, locator, deponens, vel magiſtratus eſt. Quod iterum exinde fit,quia omne promiſſum in cauſsâ fundatur, non in nudâ determinatione voluntatis ad præſtandum aliquid individuo factâ, ſecus ac Author ſuprà *cap. de promiſſ.* tradebat.

§. 19. Cum juramentum ſit acceſſio naturam negotiorum non immutans, nec per hoc irrita negotia fieri poſſunt: ſed an irrita ſint nec ne, ex ipſâ eorum naturâ deſumendum videtur.

§. 20. *Nam inferior*] Si jurando negotium cumDeo agitur,non poterit à ſuperiori poteſtate jusjurandum infringi; quare ergò Author ſuperiori poteſtatem prohibendi actum, qui ex obligatione,debetur concedit? Neceſſe proinde eſt ad noſtra recurrere principia, ut dicamus acceſſorium quiddam jusjurandum eſſe, & ex principali negotio vim ſuam capere.

Atque ex hoc fundamento] Magiſtratus, qui poteſtatem legum ferendarum habet, aut cuſtos eſt legum & defenſor, poteſt quemvis à jurejurando promiſſorio abſolvere. Ipſius enim eſt pronunciare, an obligatio rata ſit nec ne: quod ſi enim nulla ſit, nec Deus concurret,

qui

qui juſtitiæ conſervator eſt. Et quemadmodum magiſtratus in diſtractionem pignoris non conſentit, niſi obligatio ſit rata, ita nec Deus avertet gratiam, ſi ſub amiſſione gratiæ aliquid promiſſum ſit, quod non debeatur. Quamvis in juramentis confirmatoriis, quę propterea inſtituuntur, ut quod vi legum deſtitutum incalidum eſt negotium confirmetur, aliter ſe res habeat, modò non ſit contra honeſtatem.

In perſonam ejus] Quòd ſi injuſtum quiddam, aut turpitudinem involvunt promiſſiones jurejurando firmatæ, ſive à parte debitoris jurantis ſive creditoris, nullum eſt dubium, quin à magiſtratu reſcindi poſſint.

Ipſe autem qui juratus] De his quippiam notavimus *ad* §. 14. *h. cap. verb. hujus rei exemplum*: quòd conſcientiæ melius conſulamus, ſi juramentis à piratis extortis ſtemus, nec ſub aliquo prætextu vel colore ea reſcindamus. Melius enim eſt amittere quid pecuniæ, quàm dubiam habere conſcientiam de gratia Dei.

§. 21. Quia jusjurandum diximus eſſe actum quo ſub amiſſione gratiæ æterni Numinis, adeoque maximi boni ſecurum alterum reddimus; ſequitur non temere privatis id concedendum eſſe. Quid enim majorem arguit levitatem, quàm periculo amiſſionis gratiæ divinæ in negotio, quod bonum externum concernit, ſe ſubjicere? Secus eſt in aſſertorio, item eo quod in fidelitatem magiſtratui præ-

ſtatur.

ſtatur. In his enim alias pœnæ divinæ & odio Numinis ſubjicimur, ſiquid contrà faciamus: falſum enim teſtimonium dicere; aut in detrimentum magiſtratus vel perniciem ejus quid facere, iram Dei concitat.

§. 22. Suprà monui uti ſummum illud bonum in ſecuritatem datur; ita & alia bona dari poſſe: unde & ſub fidei amiſſione, ideſt, niſi ſtet promiſſis, inteſtabilis habeatur, promisſionem inſtituere licet; ſed juramentum perfectum non eſt, quia invocationem Dei juramentis accedere debere diximus.

Cap. XIV.

QUæſtionem primò hanc proponit an ipſe rex, ut ſubditos ſuos, ita ſe quoque reſtituere in integrum, aut contractum ſuum irritum facere poſſit. Fundamentum vero Bodini, quod & rejicit Author nullum eſſe videtur.

Nam interdum præter æqualitatem, quæ in commutationibus communiter obſervari ſolet, aſtringimur ad quippiam faciendum, per jus voluntarium ſeu legem, quam ipſi nobis impoſuimus, modò non ſit contra honeſtatem, uti ſupra oſtenſum.

Nos ut alibi diſtinximus] Diſtinguit hîc Autor, quò propoſitam quæſtionem reſolvat, inter regios

ter regios actus & eos, quos ut privatus Rex inſtituit. Et adverſus actus, quos ut rex iniit reſtitutionem non putat locum habere. Argumentum ipſius eſt:

Quod ex officio ſuperioris eſt, id in actibus ſuperiorem non agnoſcentibus perfici nequit.

Ergo. Reſtitutio in actibus ſuperiorem non agnoſcentibus, quales ſunt ii, quos Rex ut Rex facit, ceſſat.

Minorem probat, quod reſtitutio veniat ex lege civili, adeoque ſupra eum lex civilis eſſe debeat, qui reſtituendus eſt. Verum negare poſſumus minorem: in iis enim qui ſuperiorem non habent, videtur judicium, an decepti ſint necne, arbitris eſſe committendum, qui ſine affectu pronuncient (ſi enim ipſi contrahentes judicant de propriis negotiis plerumque male judicant) atque tunc ſemet ipſos reſtituere poſſe. Nam ita obtinet inter eos, qui nulli magiſtratui ſubjecti ſunt, ut, quod privati mediante magiſtratu facere tenentur, ipſi propriâ vi abſolvere poſſint: alias omnia bella illicita forent: quod enim privati per actionem mediante magiſtratu vim coactivam adhibente, tanquam ſuperiori, id bello & propriâ vi qui ſub nullo magiſtratu ſunt conſequuntur. Præterea nec hoc Authori concedendum, reſtitutionem in integrum ſolius legis civilis eſſe: oritur enim per naturam inde, ſi omnia celebrata fuerint, quibus obligari

ſolemus; ſubſit tamen quid, ex quo, ſi contractus ſervetur, præter noſtram culpam in grave damnum incidamus.

At privati actus] Statuit actus privatos Regis ex ſe actus partis alicujus communitatis, ac proinde eo animo factos, ut communem legum regulam ſequantur. At id non procedit in regibus, penes quos ſolos poteſtas eſt legum ferendarum. Ipſorum enim voluntas in contractibus lex eſt & prout illi contraxerunt; ita ſecundum leges contractum eſt: Et propterea imperiales contractus vicem legum obtinere minimeque opitulationem aliunde obtinere traditur. *l. penult. C. de donat. inter Vir. & Ux.*

Poterit tamen] Magis ſecurè procedit Rex, ſi ex legum præſcripto contractum reſcindat: lex enim ratio eſt ſine appetitu habetque tunc non vim legis ſed arbitri & conſiliarii, quod paulo poſt & Author concedit verb. *hoc addendum*. Quare non video rationem cur inter regios & privatos actus regis diſtinguendum ſit, ſi lex hic non ut lex & vim coactivam habens, ſed tantum arbitri inſtar concurrat. Præſumtio verò quam Author facit, quaſi ſub illâ conditione contractum ſit, nulla eſt, quia in ejus contractu, cujus voluntas lex eſt, mens ipſius potius reſpicienda. Nec reſtitutio ſit ex præſumptâ ſemper conditione in contractibus: id quod in iis qui

ex vi

ex vi metuve geſti ſunt, manifeſtum eſt.

Si fecerit] Non video quomodo res ex mero jure naturæ dijudicanda ſit, ſi reſtitutio fieri debeat ex legibus.

Hoc addendum] Fatetur Author, leges non in regem, ſed pro rege contrahentes valere.

§. 3. *Nam quæ conſequenter*] diximus hac de re præced. cap. 10. fundamentum ſc. juramenta reſcindendi non in hoc conſiſtere, quod videantur ſubditi tacitè ſub hac conditione juraſſe, ſi ſuperiores velint: hæc enim voluntas conſtat, quando promiſſoria & confirmatoria juramenta prohibita non ſunt. Sed in promiſſoriis juramentis magiſtratus ex hoc, quod obligatio ſit nulla, reſciſſionem facere poteſt. Quare ſi bonorum virorum arbitrio Rex hoc deprehenderit, quid impediet, quò minus, juramentum reſcindat ipſe.

§. 4. Uti nullum promiſſum, ita nec regum ſine cauſa factum locum habere poteſt: *vid. quæ notavimus ad cap. de promiſſ.*

Si Vaſquius loquitur de rege legibus ſoluto & penes quem ſolum eſt poteſtas legum condendarum, male rejicitur ſententia ipſius ab Authore. *vid. not. ad §. 2. h. c.*

Niſi circumſtantiæ oſtendant] Fatetur Autor, leges non habere locum in regum pactis, ſed omnia ex ipſorum voluntate eſſe: ſi enim

 volue-

voluerunt ſecundum leges communes contrahere, non ex iis velut legibus ſed potius tanquam propriâ voluntate obligatur.

§. 6. Contractus regum abſolutè dominantium, qui ſub legibus non ſunt, civiliter eos non obligant, ſed naturaliter. Eſt enim civilis obligatio, quando lex addit vim coactivam. At tales reges ſub legibus non ſunt. Unde nec vim, coactivam eorum negotiis addere valent. Naturalis autem obligatio eſt, quæ vim à cujuſque conſcientia ſtimulos addente & tormenta, nî fiat, quod ex cauſâ promiſſum eſt, conſequitur.

Dicimus ergò] Licet ex contractu regis cum ſubditis naſcatur obligatio vera ac propria, quæ jus iiſdem dat, civilis tamen ea propterea non eſt, ſed tantummodo naturalis: uti jam oſtendimus.

Sed coactio ſequi] Ex his apparet, obligationem à parte regum tantum naturalem eſſe.

§. 7. & 8. Civis, quia omnia reipub. debet, utpote per quam ſalvus & beatus eſt, etiam adigi à magiſtratu tempore neceſſitatis poteſt, ut ſuum officium faciat: nec propterea neceſſe eſt, aliquod dominium ſupereminens fingere.

§. 9. Nec Author nec JCti videntur hæc ſatis aſſequi. In privatorum contractibus ipſorum voluntas pro lege habetur, quamvis non ex ſe

ex ſe, ſed ex acceſſione vis coactivæ per leges publicè latas, & eum qui legum cuſtos eſt. At ſi rex contrahit, legem ſibi fert & alteri contrahenti, quæ non vim capit ex aſſiſtentiâ legum publicarum, ut pacta ſeu leges privatorum, ſed ipſius voluntas abſolute lex eſt, ex quâ ſibi præſcriptâ tenetur per conſcientiam, cujus tormentis ſubjectus eſt, niſi faciat promiſſum. Non etiam hæc perpendit Author, pacta leges contractuum eſſe, licet non omnes homines obliget, ſed tantum eos, qui contraxerunt. Non ergo de eſſentiâ legis eſt, ut ea omnes ligentur cives, niſi ſit lex publicè lata quæ κατ' ἐξοχὴν lex dici ſolet. Id quod Authorem decepit.

§. 11. & 12. Mallem ego propoſitam Authoris quæſtionem, quomodo & ex quibus contractibus obligentur, qui in regnum ſuccedunt, ita decidere. Rex ſummam poteſtatem habens mens quædam eſt ſocietatis, quâ non modò ſingulæ partes ejuſdem, ſed & dum circa alios agendo verſatur, tota ſocietas dirigitur. Quemadmodum ergo in contractibus privatorum deliberatus requiritur animus: (ſine ſcientiâ enim & mente humanâ non cenſetur actio, ſed velut à lapide proveniens.) Ita quando ſocietas contrahit, à mente ejus ſingula proficiſci debent: adeoque ſine conſenſu regis, penes quem abſoluta poteſtas eſt, nihil agitur. Quemadmodum vero fit, ut mens non

faciens officium in homine reddat contractus aut nullos aut reſcindendos, ut in furioſis, aut dementibus, prodigis, pupillis, minorennibus accidit. Ita quoque ſi mens ſocietatis laboret, nec faciat officium; aut nullum eſt ſocietatis negotium, aut quemadmodum furioſus ad ſanam rediens mentem negotia ſua rata non habet, ita & ſocietas, quæ alium regem nacta eſt, id facere poteſt; ſi prior videatur quid ex non ſanâ mente aut contra rationem egiſſe.

Cap. XV.

PActa privata à publicis differre videntur: quòd illa fiant inter patresfamilias circa bona externa, quibus privati velut inſtrumentis ad vitam utuntur; hæc vero ſalutem ſocietatis civilis vel imperii concernant, & proficiſcantur à mente ſocietatis alicujus, quemadmodum privata à ratione patrisfamilias.

§. 4. Diviſio fœderum Menippi regis Antiochi legati, quam ex Livio Author enarrat, licet plane abſurda non ſit, non tamen eſt generis ſynonymi in ſuas ſpecies. Nam primum videtur naturam fœderis amittere, quando leges dicere ibi nihil aliud eſt, quam heriliter imperare,

imperare, in reliquis duabus ſpeciebus quoque non deeſt quod deſideres: ii enim à diſſoluta ſocietate redeunt ad ſocietatem humanam; iterum non proprie fœdus fieri videtur, redeunt enim tantum à diſſociatione ad ſocietatem in quâ vivunt homines natura, non ex certo fœdere. Rectius ergò quando bellantes faciunt pacem, remiſſio diſſociationis, quam fœdus quod in peculiari ſocietate ineunda adhibetur, vocatur. Supereſt ergò fœdus propriè dictum, quando peculiaris quædam ſocietas inter diverſos populos initur.

Autor accuratius fœdera partiri volens tradit, alia idem conſtituere quod juris naturæ eſt. Sed videtur hoc incidere in illam ſpeciem à nobis clarius propoſitam, quando ſocietate humana diſſoluta ad eam revertuntur populi, ut eâ promittant præſtare invicem, quæ ſocietas, quam inter omnes homines natura introduxit, requirit.

§. 6. & 7. Alia fœdera dicit Author conſtare conventionibus quæ juri naturæ aliquid adjiciunt, & illas conventiones vel æquales eſſe vel inæquales. Rectius videntur hæc ita tradi, quòd aut una pars alteri imperet, uti Menippus dicebat & propriè conventio aut fœdus non eſt, ſed herile imperium, quod altera pars audire cogitur; aut vero neutra pars alteri imperet, ſed inter ſe leges conſtituant, & tales contrahentes decet eſſe æquales vel

numero, quod fit, quando ob æqualitatem perſonarum etiam de merè æqualibus numeris retribuendis conveniunt v. g. quando una parte urgente captivos dimittere & altera id rurſus repoſcit ſimpliciter; vel æquales analogia eſſe debent, ut quando minus dignitatis una pars habeat, tanto plus alteri reſtituere teneatur. Et hîc liberi manent inferiores, niſi ab æqualitate numero nimis recedatur: tunc enim paulatim ad ſervitutem fit transgreſſio.

§. 9. 10. 11. Chriſtianum non inire fœdus cum Ethnico, quod quoquo modo propagationem fidei Chriſtianæ lædit, certum eſt. Nam propagatio verbi divini magiſtratus Chriſtiani ſuprema lex eſt, quemadmodum in beatâ republ. felicitas ſeu operatio ſecundum virtutem. Et cum ſumma caritas ſit nota Chriſtianorum; neceſſe eſt omne fœdus noſtrum, per quod reſpublica quædam Chriſtiana vel minimum damni patitur, injuſtum eſſe, quia caritas exigit ut Chriſtianus alterum quàm maximè ſalvum eſſe velit. Hinc ſi hoſtis divini nominis cum quibuſdam Chriſtianis bellum gerat, non ſine peccato alii cum eodem paciſcuntur & quieſcunt. Faciunt namque contrarium ejus, quam ex quo ipſum caput illius corporis ſua membra vult dignoſcere, adeoque naturam membrorum ſocietatis Chriſtianæ non habent.

§. 12. Opti-

§. 12. Optimè conveniunt hæc cum iis, quæ ſupra tradidimus *cap.* 9. *§.* 11. de præeminentia & principatu Regis Germaniæ. Unde colligimus, ſententiam, quæ principatum in mundum denegat noſtro Imperatori, injurioſam quodammodo eſſe & à Chriſtiano alienam. Si enim imperii finis eſt beatitudo hominum, eaque aliqua eſt in alterâ vitâ, quam Chriſtiani credunt, neceſſe eſt iis imperium deberi, qui ad eam homines reliquos ducere poſſunt. At tales ſunt Chriſtiani reges & eorum ſummus, cujus directione fieri debent, quæ ſinguli adverſus barbaros & infideles perficere nequeunt. Miſere autem philoſophantur, qui ex multâ poſſeſſione imperium in orbem æſtimant, confundentes dominium quod privati patresfam. velut inſtrumenta vitæ ſuæ habent cum imperio civili in orbem terrarum. Nam imperium Imperatoris ſummum in hoc conſiſtit, quod principis locum obtineat quando homines virtute, ſapientiâ, prudentiâ & vera inſtructi religione, qui mens & ratio ſunt totius humanæ ſocietatis, contra barbaros & hoſtes nominis Chriſti pugnant. Quemadmodum autem non propterea dicendum eſt appetitui competere dominium in rationenem, licet quandoque rationi reſiſtat, & eam ferè ſubjectam ſibi habeat: ita licet barbaries ob ſocordiam & inteſtina bella Chriſtianorum

(qui invicem de gleba terræ bellis crudeliſſimis certantes barbariem augeri permittunt), dominatum nunc quendam ob potentiam arrogare videatur, ſuperbè admodum Turca Chriſtianis inſultante: nihilominus tamen per hoc nec imperator noſter jus ſuum imperii, nec noſter orbis Chriſtianus dominium amittit. Quin potius quæ ipſorum ſint officia, Chriſtiani reges in memoriam ſibi revocare debent, ut ſcilicet mutua caritate conveniant, & ſepoſitis omnibus odiis & contentionibus, quas de leviculis rebus ſæpè agitant, ductu Imperatoris noſtri hoſtem Chriſtiani nominis impugnent. Chriſtianos non vereor negare, qui ut dignitatem imperatoris noſtri imminuant, cum Turca pacta ineunt; Pontifices vero omnes qui hoc egerunt, ut Imperatoris autoritatem ſupprimerent, ſuam augerent, per quod impeditus fuit, ne quæ muneris ſui erant adverſus Turcas peragere poſſet, diaboli mancipia fuiſſe aſſero.

§. 13. Quæ Autor hîc tractat, ex natura ſocietatis dijudicanda ſunt: fœderati enim hoc in loco ſunt, qui ſocietatem bellicam inierunt. Quærit autem primò Autor, ſi plures fœderati bellum gerant, utri potius ferre opem debeat, qui vtrique fœderatus eſt. Reſpondet I. conſiderandum, uter eorum juſte bellum gerat; ei enim præ altero opem ferendam eſſe. Fundamentum hujus rei eſt: quia ſocietas ob turpem

pem cauſſam inita nulla eſt : multò minus ergò ex ſocietate aliqua inita quod turpe eſt deberi poteſt ; injuſte autem gerenti bellum ſuccurrere turpe eſt.

Quod ſi fœderati] Intereſſe hic puto, attendere, qualis ſit ſocietas bellica, an videlicet ſimilis ei quam in rebus privatis vocamus totorum bonorum, ut, quodcunque obveniat belli genus, omnes pari periculo excipiant: tunc enim ſine priorum conſenſu cum aliis ſocietas iniri nequit, quia prioribus omnia debentur : ſi vero ex conſenſu priorum facta ſit ſocietas, ſecundum proportionem debentur auxilia, uti in ſocietatibus communiter fieri ſolet. Diſtribuitur enim hic aliquid in partes, quod communiter debetur. Quod ſi verò certarum mittendarum copiarum ſocietas ſit, tunc ſi ſufficientes ſuppeditare quis nequit, proportione ſingulis debebuntur. Quod tamen ex juſtitia cauſæ & aliunde varias limitationes habere poteſt.

§. 15. Uti omnem ſocietatem ; ita & hanc infidelitas ipſo jure diſſolvet, quia in amicitia fundata eſt.

§. 16. De ſponſionibus quæ diſceptat Author, ita videntur decidi poſſe, aut noxæ dedendam partem civitatis ſi conditionis quodammodo ſervilis ſit, aut dimittendam, ſi liberalioris ſit conditionis, & pro parte amplius agnoſcendam non eſſe ; aut verò præſtandam

intereſſe ei, qui damnum ex illa ſponſione ſenſit. Quamdiu enim ſocietas pro parte lædentem habet, tamdiu ex facto ejus conveniri poteſt.

Cap. XVI.

§. 1. ANtequam ad dogmatum Autoris examen perveniamus, utile erit, quædam de interpretatione legum præmittere. Quare autem ad leges requiratur interpretatio & quid ſit, ita declarabimus: Omnis lex oratio quædam eſt: Eſt enim enunciatio, cùm ſit propoſitio univerſalis in ſyllogiſmo practico. Et cùm oratio alia ſit ad intra quæ ſine ſono conceptum ſignificante eſſe poteſt, in ſolis conceptibus ſubſiſtens; alia ad extra; legem ſcriptam neceſſe eſt ad extra orationem eſſe, ſive enim publice lata ſit, promulgari & verbis exprimi debet, ſive inter privatos, neceſſe eſt mediantibus vocibus conſtitui. De conſuetudine, quæ ex factis hominum colligitur, aliter ſentiendum: neque enim explicativam interpretationem, quâ ex verbis mentem colligimus, recipit. Præterea, quia omnis lex enuntiatio quædam eſt, neceſſe eſt eam vel neceſſariam eſſe vel contingentem, id eſt vel talem, ut ſemper ſubſumere

poſſis

poſſis ſine reſpectu accidentium quodvis ſingulare, vel ut propter accidentia et circumſtantias ex ea non ritè procedat ſyllogiſmus, ſed aut limitatio ſit adjicienda, aut plane alia ſubſtituenda enunciatio, quæ in tali caſu locum habere queat. Leges autem enunciationes contingentes eſſe, ſive ſint publicæ ſive privatæ, ex eo quòd verſentur in tali materiâ, quæ non recipit neceſſitatem, ſuprà eſt demonſtratum. Ex his apparet, neceſſariò in applicatione legum ad ſingularia difficultates oriri, nec eam cujusvis eſſe, ſed aut unum aut plures habitus requirere: Oratio namque ratione aut vocum aut compoſitionis varios ſenſus recipit, aut alias obſcura eſt ut de ſenſu non conſtet: videtur ergò cujuſdam artis eſſe ſenſum eruere. Deinde quia difficile oppidò eſt videre, in quibus caſibus leges procedant nec ne, quomodo itidem & quando limitandæ reſtringendæve ſint, certè hic iterum habitus peculiaris requiri videtur, cujus beneficio id fiat, qui fortaſſe à priori erit diverſus, cùm ex diverſis uterq; ſit principiis. Pręter difficultates haſce & alia ſeſe offert, quòd leges de omnibus loqui non poſſint, ob negotiorum occurrentium inſignem multitudinem; neceſſe autem ſit, quandoque & de iis pronunciare, quæ legibus expreſſè definita non ſunt: ex identitate rationis leges ad alios caſus, quam de quibus expreſſè loquuntur, applicandæ erunt,

runt. An hic idem ſit habitus cum priori fortaſſe iterum dubitare licet. Quòd ſi ergò applicationem legum ad ſingularia interpretationem vocare libet, interpretatio legum neceſſaria erit dicenda & habitus quidam circa eam dabitur, cujus beneficio eædem applicentur ſingularibus & difficultates quæ in applicando nos decipiunt evitentur. Fortaſſe verò nec ſingulorum par eſt difficultas. Nam eruere ſenſum legis alicujus ex verbis, ut enunciationem conſequamur univerſalem applicandam ſingularibus, tantæ difficultatis non eſſe videtur. Quin facilè expediri poteſt; ſi legibus jungatur cuſtos & adminiſtrator, ſine quo nec leges eſſe poſſunt. *l. 2. ff. de orig. Iur.* At in ſingularibus verſari & quomodo leges applicandæ ſint videre hac in re eſt difficillimum. Idque eleganter expreſſit Ariſtoteles. *lib. 5. Eth. c. 13. Simili modo*, inquit, *cognoſcere juſta & injuſta nullam ſapientiam eſſe exiſtimant; propterea quòd difficile minimè eſt ea intelligere, de quibus leges praſcribunt. Verùm hæc juſta non ſunt, niſi per accidens, ſed ea ſunt juſta, quæ quodammodo aguntur & diſtribuuntur.* Cujus ratio hæc eſſe videtur quod in eruendo ſenſu legis, quoad verba, univerſalia quædam tradi poſſint; quæ tamen interpretatio non difficilis aut intricata eſt, & in enucleatione homonymiarum & metaphorarum &c. conſiſtit.

At

At ſecundum circumſtantias ex legibus rem dijudicare & ratione earundem limitare , reſtringere aut in earum locum, quando propter circumſtantias adhiberi non poſſunt , alias ſubſtituere , ſub ſcientia quadam non videtur comprehendi poſſe ; quia hic habitus quatenus talis in ſingularibus verſatur : at ſcientia univerſalium eſt. Præterea quæ de actionibus humanis doceri poſſunt , ſunt ea quæ in legibus continentur , circa quarum velut enunciationum univerſalium cauſas inveſtigandas ſcientia verſari poteſt. At circa applicationem ad ſingularia ſcientia tradi non poſſe videtur. Nam applicare ad ſingularia eſt ſingularia ſubjecti & prædicati legum ſumere v.g. homicidam pœna talionis afficiendum , applicatur ad ſingularia , ſi Mævium ſumamus homicidam & hoc tale aliquid eſſe pœnam talionis. *vid. Ariſtoteles. lib. 7. Eth. c. 5.* Hoc verò ſcientia comprehendi nequit , cum ſingularia ſint infinita : ſed longa experientiâ & exercitatione in ſingularibus perficitur. Quare & *Ariſtoteles. lib. 1. Metaphyſ. c. 1.* tradit experientiam multam habentes felicius ſanitatem reſtituere , quàm ii qui ſola ratione ſine experientia hoc facere conantur : cauſſamque reddit , quòd Empirici magis aſſueti ſint in ſingularibus verſari ; ſcientiam verò habentes univerſale quidem cognoſcant , quod vero ſub univerſali eo eſt ſingulare ignorent ; unde ſæpè à ſanando

erre-

errent ſumentes ſingulare ſub univerſali eo, ſub quo non debebant. Aſſuefieri ergò ſingularibus rectè ſumendis ſub univerſalibus habitus eſt, quem diſcendo aſſequi non poſſumus, ſed longo uſu paramus. An ergò lex aliqua rectè vel ſecus applicata ſit, nec per demonſtrationem nec per ſyllogiſmum cognoſcere poſſumus. Daretur enim progreſſus in infinitum; quia in ſingularibus ſumptis ſub univerſali acquieſcendum videtur; quemadmodum Geometra qui artem tractat, in hoc acquieſcit, ſi ſumpſit hoc eſſe triangulum, & propterea tres angulos æquales duobus rectis habere. Quo ergò hæc expediamus, repetendum eſt ex Ariſtotele *lib.* 6. *Eth. cap.* 8. *& ſeqq.* prudentiam habitum eſſe, quo in ſingularibus conſultando rectè verſamur, aliamque eſſe legiſlatoriam, quæ certæ alicujus civitatis fine propoſito media ad eum finem ducentia conſultando inquirit. Licet ergo legiſlatoria prudentia univerſales enunciationes tradat, in re tamen ſingulari, certa nimirum alicujus ſocietatis civilis felicitate adipiſcenda verſatur: alia verò prudentia circa ſingularia ſeu partes civitatis occupata eſt, & vel eſt conſultatrix vel judiciaria. Eſt verò porro & habitus quidam qui ad prudentiam ſe habet, quemadmodum facultas judicandi in diſcente ad docentis ſcientiam: (niſi enim auditor judicium illud habeat, fruſtrà erit omnis doctri-

na)

na) eumque habitum σύνεσιν Ariſtoteles vocat, & hujus officium eſſe tradit, ut quod per prudentiam quis conſultando invenit, de eo alter rectè judicet. Quia ergo juriſprudentia eſt diverſa à prudentia legiſlatoria: (neceſſe eſt enim legibus velut opinionibus eam uti.) interim tamen circa leges certæ reipublicæ verſatur: apparet ad dictum requiri habitum σύνεσιν appellatum, quo rectè judicet de iis, quæ prudentia aliorum conſultando invenit: niſi enim eo polleamus judicio, ſæpè in legibus applicandis errabimus, dirigendo eas in finem, quem legiſlator propoſitum non habuit Uti autem difficilius eſt media ad finem invenire, quam, ſi inventa ſint, de iis, quorſum pertingunt, judicare; item, quemadmodum facilius eſt de demonſtrationibus judicare, quàm eaſdem invenire, hoc enim præceptoris, illud diſcipuli munus eſt, ita quoque σύνεσις, quæ judicat tantum de prudenter inventis, facilior habitus eſt. Interpres ergo legum habitu illo, quo de prudenter inventis rectè judicamus, inſtructus eſſe debet: per hunc namque non modò interpretatio extenſiva abſolvitur, quando per rationem legum ad ſimilia progredimur, ſed etiam magna pars interpretationis reſtrictivæ. Nam mediante illo hoc conſequimur, ut loquamur id, quod legiſlator ipſe diceret, ſi præſens eſſet, paulatimque ad ipſam ducimur prudentiam (Quod ſi enim viderimus,

quo

quo pacto alii in eligendis mediis ad felicitatem civitatis,finemq; certum obtinendum progreſſi ſint, imitando eoſdem facilè ad id pervenire poterimus,ut ipſi deliberare de mediis beatitudinis civilis valeamus. Et hinc eſt, quod ICti idonei ſint ad prudentiam LLatoriam, utpote qui experientiam nacti ſint & parendo, quod dicitur imperare didicerint. Utendo enim legibus judicamus de iis,quæ per prudentiam inventa ſunt, reddimurq; per hoc prudentes non aliter ac auditores ex cognitis variis ſcientiis à præceptoribus, de quibus judicium ferunt, ipſi media demonſtrationis invenire diſcunt.) Cùm ergo interpretatio reſtrictiva, qua æquitatem introducentes jus ſtrictum corrigimus, in hoc conſiſtat, ut ita eloquamur rem, quemadmodum diceret ipſe legislator, ſi præſens eſſet. *lib.* 5. *Eth. c.* 14: idem in extenſivâ interpretatione requiritur, quia eam adhibere eſt exemplo legislatoris prudentem eſſe. Ex his perſpicere ſubtiliter poterimus, quid ſit ex lege imperare : item quid velint Philoſophi, quando dicunt, legem ſe habere ad imperantes ex eâdem, uti imperans ad parentem: quale item ſit officium adminiſtratoris legum, & ex quo habitu proficiſcatur. Duo enim agit adminiſtrator legum, 1. ut mentem legislatoris colligat adhibita *εὐστοχίᾳ*. 2. ut leges vel reſtringat vel ad alios caſus extendat : ad hoc vero propria prudentia

requiri

requiri videtur, quæ tamen prudentiæ legislatoris innititur & per σύνεσι paratur. Ita enim reſtringere & extendere iudex debet leges, prout faceret ipſe legislator ſi præſens adeſſet. Unde dicimus habitum adminiſtratoris legum reſpectu ſingularium eſſe prudentiam, reſpectu legum σύνεσιν, adeoque ex συνέσει prudentiam. Quare & iterum parentes de ipſius prudentia judicium habent, quod ipſe de legislatoris. Et quando æquitatem introduxit judex ultrò in parentibus eſt γνώμη, judicium rectum de æquo à Judice introducto. Poterit hoc quod dico concipi ex multis magiſtratibus ſubalternatis, quorum ſinguli reſpectu ſuperiorum habent σύνεσιν, ratione inferiorum prudentiam: quod in ducibus bellicis manifeſtiſſimum eſt. Ex his ergò munus legum interpretis ejuſque requiſita licet colligere, id enim ſenſum quem oratio præ ſe fert verum indagare tenetur omni obſcuritate remotâ. Obſcuritas autem oritur vel ex homonymiâ & amphibolia, quæ propterea probè conſiderandæ erunt. Quæ autem ſignificatio in homonymis elegenda ſit præ reliquis, ex his videtur patere. 1. ſi conſideremus, quâ in ſignificatione legislator frequentius voce aliqua uſus ſit; ſi enim de ea conſtet, ſine cauſa ad aliam tranſtuliſſe ſignificationem præſumi nequit. 2. Communior & maximè frequens ſignificatio notetur; quia voces,

ces, quando perſpicuè loqui volumus, in receptiſſima ſolemus accipere ſignificatione, ſeu in ea qua concipiunt plerique homines; ſolent enim qui legem promulgant maximè perſpicuè loqui. 3. aut ſi lex privata eſt prout illi percipiunt, in quos fertur: quilibet enim prudens ſenſa animi vocibus declarans ſe accommodat ad captum illorum, cum quibus loquitur. Oritur quoque ex metaphoris, ſi quæ occurrant, obſcuritas, qua de cauſa loco earum ſubſtituendę ſunt voces propriæ: ſpecies metaphorarum *vid. ap. Ariſtotelem de arte poet. c. 21.* Ad tropos autem & metaphoras non recurrendum, donec proprietas non habeat locum, quod, quando obſervandum ſit, σύνεσις plerunque dictabit. Nam quæ hactenus dicta ſunt ſola rem non expediunt, ſed præcipua interpretatio ex judicio illo quod σύνεσιν vocavimus dependet, qua de prudenter inventis rectè judicamus. Hinc fit quod mentem legis verbis & æquitatem ſtricto juri præferant. Cum ergo utramque faciat paginam σύνεσις; in quonam ea conſiſtat, videndum eſt. Patebit autem hoc, ſi quid prudentia ſit præmittamus. Eſt vero ea habitus quidam, quo de mediis ad finem propoſitum ducentibus, deliberamus. Judicare autem de his eſt ſubitò colligere poſſe finem, quem prudens intendit, & percipere, ea eſſe media convenientia, quæ ad finem ducunt.

cunt. Ad hoc judicium circa leges obtinendum multum facit ſcientia civilis, quæ de mediis tractat ad communem totius vitæ humanæ finem: eſt enim quædam abſoluta conſultatio ex propoſito abſoluto fine totius vitæ humanæ. (Non tamen propterea civilis ſcientia ipſa prudentia eſt, quia prudentia circa ſingularia verſatur & legislatoria felicitatem hujus vel illius civitatis propoſitam habet.) Quando autem de illis rectè judicare poſſumus, quæ abſolutè ad benè vivendum & felicitatem ſocietatis civilis ſimpliciter faciunt; facilius erit judicium formare in iis quæ velut media propoſita ſunt ad hujus vel illius civitatis felicitatem. In privatorum legibus multum conducere videtur prudentia œconomica, item natura negotiorum quæ geruntur; hac enim cognita finem contrahentium facilè aſſequi licebit, & qualia proinde media ad finem ducentia eligere voluerint cognoſcere. Multum etiam & plus ferè conducit hiſtoria reipub. quæ ipſum finem legiſlatoris ex ſingularibus cognoſci facit, ut adeò judicium noſtrum magis inde formari queat. Quod ſi ergò ex verbis dubius oriatur ſenſus; optimum electionis fundamentum erit judicium illud. Hinc dependet quoque demonſtratio; quare illæ interpretationes quæ legem reddunt inanem ſint nullæ; quia cum nullus legiſlator fruſtrà legem pronunciet, ſed prudenter

ea

ea utatur velut medio ad finem: neceſſe eſt, judicium illud quod de prudentia eſt talem interpretem non habere, qui inanem ſine uſu & efficacia legem reddit. Econtrariò eæ interpretationes majorem applauſum merentur, quæ legibus plus utilitatis & efficaciæ tribuunt in negotio feliciter peragendo, quod dirigunt. Quòd ſi judicium noſtrum, quod *σύνεσιν* cum Ariſtotele vocamus, nos juvare non poteſt; neceſſe eſt ut ad eum confugiamus in legibus publicis interpretandis, penes quem poteſtas eſt condendarum legum, qualem ſemper præſto eſſe legibus neceſſe eſt. Is enim ope JCtorum, qui per experientiam in legibus, qua judicium de prudentia legiſlatoris crebro facientes ſibi quandam acquiſivere prudentiam, determinare de interpretatione facienda rectè poteſt. Ex his perſpicere licet, quid ICtus à LLatore & ſubditis quibus præſcribuntur leges, quorum quoque officium eſt leges noſſe, differat. Nam LLatoris eſt reperire leges velut media felicitatis civilis obtinendæ; vulgi ſimpliciter leges ſcire, licet abſque judicio quorſum colliment. ICti verò eſt judicium facere poſſe de iiſdem cujus gratia latæ ſint, ut ritè ſingulis caſibus ita applicentur, quemadmodum applicaret eaſdem LLator, ſi præſens eſſet.

Rectæ interpretationis] Videtur innuere Author, quod diximus ſupra, primùm verba attendenda eſſe, ut in homonymiis ſumamus ſignifica-

gnificationem frequentiorem, niſi mens contrahentium, quam conſequi poſſumus συνέσει ſeu judicio de prudentia eorundem aliud ſuadeat.

§. 2. Conveniunt hæc cum præmiſſis: diximus enim verba explicanda eſſe, prout communiter accipiuntur, aut vero ſimile eſt, intellecta fuiſſe ab eo, qui legem præſcripſit; ita tamen, ut judicium ſeu σύνεσις principem locum obtineat.

§. 3. Habet quælibet Ars ſuos terminos technicos, quorum ſignificatio eſt cognoſcenda ex definitionibus nominalibus quæ præmitti ſolent vel debent.

§. 4, Conjecturæ nihil aliud ſunt quàm judicium de prudentia contrahentium, ut cernamus quorſum pactis ſuis collimarint.

§. 9. Si una vox modo pro genere ſumatur modò pro ſpecie, ſine metaphora tamen (ſolet enim genus transferri ad ſpeciem ſignificandam) diſtinctio inter ſpecialem & generalem ſignificationem locum habet. Peccare autem hic ſæpe ſolent ICti, annotantes varias vocum ſignificationes, quando metaphoricè interdum aliam recipiunt ſignificationem. Exemplum de morte elegans eſt circa latiorem & ſtrictiorem ſignificationem. Quod concernit ſignificationem latam aut latiſſimam vocum; hæc mihi videtur in interpretatione legum propterea attendenda, ſæpè enim

enim vulgus latius & ad plura extendit ſignificationem vocis, quam ſua natura per Etymologiam à ſapientibus habere concipitur, & contra. Et quia in interpretatione legum non ita proprietas, quàm uſus vulgaris plerumque inſpiciendus eſt; accidit, ut latiorem aliquando ſignificationem vocem habere dicamus *vid. & not. ad* §. 12.

§. 10. Omnia negotia favorabilia ſunt quæ hominum amicitiam & communem eorum utilitatem conſervant. Odioſa contrà, quæ amicitiam diſſolvunt, & quod utile eſt humano generi impediunt, illa in Interpretationibus, quantum fieri poteſt, ſectamur, hæc fugimus. Ita pacta quæ faciunt ad diſſolutionem contractus vel alius ſocietatis odioſa ſunt v. g. de reſcindendo matrimonio &c.

§. 11. Negat actuum diſtinctionem in bonæ fidei & ſtricti juris ex jure naturali provenire. Qua in re ſupra ad cap. de contract. eidem contradiximus & probavimus dari quoſdam contractus, qui jure aliquo naturæ diriguntur, quibus contra diſtinguuntur, qui jus naturæ non habent, quo dirigantur, ſed in totum ex voluntate hominum contrahentium dependent. Et cùm actus certam naturam habentes, uti paulò poſt dicemus, ſint bonæ fidei; illi qui à ſolo inſtituto dependent ſtricti juris: neceſſe eſt & diſtinctionem actuum in bonæ fidei & ſtricti Juris naturalem eſſe.

eſſe. Quamvis non diffitear, fieri poſſe, ut negotium, quod certam naturam non habet, ex inſtituto ſimile fiat eidem, quando nomen conſequitur à LLatore, & certa jura ei dirigendo conſtituuntur. Quemadmodum hoc in Emphyteuſi factum eſſe nove videmus. Unde apparet, quædam negotia formam interdum ex inſtituto habere. Id quod & in Feudo ita obtinet, quod naturam ex hypotheſi quadam & placito Germanorum conſecutum eſt.

Iuvat ad interpretationem cognitio juris naturalis ſeu ſcientia civilis, quæ de legibus ferendis univerſaliter ſpeculatur; ſepè enim ſi interpres in applicatione legum ad ſingularia videt aliquid emergere, quod contra jus naturale ſit, emendare leges poteſt, adeoque æquum bonum obtinere. Ita quoque ſi judex leges privatorum interpretatur applicando eaſdem ad actus negotii, cui adjectæ à contrahentibus ſunt, deprehenditur aliquid oriri ex legibus illis applicatis, quod ſit contra jus naturale negotiorum certam naturam habentium, corrigit limitatque eaſdem. Et hæc limitatio & correctio cùm prudentiæ & fidei judicis committenda ſit; efficit ut contractus bonæ fidei dicantur omnes, qui naturam certam habent, cujus beneficio correctionem & limitationem pactorum, à quibus informantur, recipiunt.

§. 12. Si odioſa ſunt, prout Author ea definivit, quia partem tantum alteram, aut plus altera onerant, quæque pœnam in ſe continent, & quæ actus faciunt irritos : non video quo pacto ex natura non odioſorum hoc fluat, ut verba ſecundum proprietatem uſus popularis & latitudinem totam ſumenda ſint. Nam & odioſa eſſe poſſunt, in quibus verba neceſſariò ſecundum totam proprietatem uſus vulgaris accipienda ſunt, niſi velis omnem ſeponere æquitatem. Rectius ergò fortaſſe res ita concipi poteſt : ſi appareat rem odioſam eſſe, id eſt talem quæ ſocietatem humanam, libertatem amicitiamque deſtruit, (deſtruit & ſocietatem humanam id, quod cujus commune eſt) in interpretatione à latiſſima & vulgari ſignificatione vocis recedere licet,. & contrà ; quia hæc interpretatio magis ad juſtum naturale accedit. exempla de maſculino transferendo ad fœmininum, item quod vi vetitus accedere ad poſſeſſionem ſuam uti poſſit interdicto, unde vi quis dejectus eſt, ex interpretatione eſt extenſiva ; quia par hic eſt ratio: non à vocis *dejicere* latiori ſignificatione pendet. Et quo favorabilius negotium eſt, eo latius in interpretatione progredimur ; quia omnibus modis id, quod ſocietatem & amicitiam humanam conſervat, quærere tenemur.

Ad ſignificationes] Abſurdum hic ſignificat,

ficat, quod ſine imprudentia LLatorum aut contrahentium ſtatui nequit; ad quam ſpectat inutilitas pacti, ſi ex interpretatione ſequitur, fruſtra pacta inita eſſe.

§. 13. Voces recipere latitudinem quandam& reſtrictionem ratione temporis frequens eſt:dum interdum ad omnia tempora extenduntur,interdum vero ad certum aliquod præſens, præteritum vel futurum reſtringuntur. Hac de latitudine Author noſter quæſtionem inſtituit, dum de ſociis quærit, quid nomine eorum veniat, an & ii qui in futurum ſocii ſunt. Lex talis, erat: *utriuſque populi ſocii ab utroque populo tuti ſunto.*Nos dicimus in promiſſis neceſſario voces pro futuro tempore ſumi. Ac propterea ſenſum illius legis eſſe: eos, qui durante fœdere in ſocietate utriuſque populi futuri ſint, tutos eſſe debere. Author vero ad præſens tempus tantum reſtringit,propterea, quòd res odioſa ſit; agi enim de fœdere rumpendo: at reſponderi poſſet, non odioſam ſed favorabilem eſſe cauſſam, efficere ut in pace ſint & inviolabiles quamplurimi.

§. 14. Quæſtionem proponit de explicatione pacti, *ne inferior populus alterius ſuperioris injuſſu bellum gerere poſſit:* belli enim vox latè ſumi poteſt, ut etiam comprehendat defenſionem; & ſtrictè, pro offenſione. Rectè autem Reſpondet, in dubio hîc ſtrictè pro offenſione ſolà ſumendam: auffert enim liber-

tatem redditque ſerviles hoc pactum; unde reſtrictio vocum facienda.

§. 16. Pacta perſonalia ipſam perſonam concernunt & fieri non poſſunt niſi ob amicitiam peculiarem, his enim licet quid in perſonam certam ſtatuere: realia vero ratione rerum ſunt, quæ geruntur ad juſtum & æquum obtinendum & in dubio omnia pacta concipiuntur eſſe realia in jure civili.

Excipiendum erat] Malè Author hoc ad pactum perſonale refert, quia ſine perſonarum contemplatione pactum illud durat, quamdiu cauſſa illius nimirum libertas: hoc vero reale eſt ſeu in re fundatum.

Quod ſi partes ſint] Author in dubio hic diſtinguit inter favorabilia ut ea realia habeantur, & odioſa ut habeantur pro perſonalibus. At videntur omnia pacta niſi expreſſe de contrario conſtet, realia eſſe; quia ſolemus & in realibus perſonas nominare & iiſdem jubere aliquid facere, licet ea & hæredes & ſucceſſores aſtringant; quare neceſſe eſt, ut ſi velimus pactum perſonale eſſe, id expreſſe adjiciatur.

Quod verò] Contractum ſocietatis morte finiri, naturale eſt & non merè juris civilis, quia in amicitiâ fundatur & contrahentes requirit amicos. At amicitia in hæredes non transfertur, ſed cum perſonis plerumque interit: & quamvis ſoleamus aliquid benevolen-

tiæ

tiæ etiam liberis amicorum exhibere: non tamen in intimam amicitiam eoſdem ſemper recipimus.

§. 19. Videtur diſtinguendum, an hoc actum ſit ut alter alterum ſuperet, an verò is, qui præmium conſtituit, hoc principaliter non intenderit; ſed fortaſſe ad virtutem omnium animos accendere voluerit; illo enim caſu neutri quicquam ex rigore debetur: hoc autem non immeritò ſolidum datur ſingulis, quia actionem virtuoſam, quam intendebat, quamque tanti quaſi æſtimabat, ſinguli ediderunt.

§. 20. Abſolvit hactenus Author interpretationem qua colligitur mens ejus, qui legem dixit; in qua interpretatione plurimum poſſe diximus judicium de prudentia ſeu *σύνεσιν*. Cùm vero in legibus duo defectus reperiantur, non quòd propoſitiones ſint contingentes, nec omnibus ſingularibus tutò applicari poſſint. 2. quòd de omnibus rebus non ſint latæ, & propter eas quæ exſtant ad alios caſus extendere teneamur: oritur hinc etiam duplex quædam ſpecies ejus interpretationis, quam Author vocat interpretationem ex conjecturis extra ſignificationem verborum. Et uti in legibus in civitate publicè latis utraque ſpecies reperitur, ita quoque in pactis & legibus privatorum.

Sed quæ extendit] Rectè monet Author, exten-

extenſivam interpretationem non æquè facilè procedere ac reſtrictivam. Cujus poteſt hæc reddi ratio, quod extenſiva importet obligationem; at reſtrictiva ab obligatione liberet quodammodo, quòd poſterius favorabilius eſt & facilius procedit: Unde & jure civili Romano pacta nuda ad excipiendum valent, non ad agendum. Abſolvitur autem extenſiva interpretatio beneficio judicii illius, de quo ſæpe diximus; judicare enim de prudentiâ legem dicentis, eſt rationem cognoſcere, quâ motus legem ille dixit.

§. 21. Quòd mandatarius teneatur ſtrictè ſervare leges mandati, ex natura hujus contractus fluit, quia mandatarius perſonam induit mandantis: unde quod non ſit ex mente mandantis, in eo nec mandatarius illius perſonam repræſentat, nec ut mandatarius operatur.

§. 24. Tertium ad æquitatem non ſpectat, ſed ad mentem tantùm legis inquirendam.

Dijudicandæ voluntati] Non videtur ſatis aſſecutus mentem Ariſtotelis de ἐπιεικείᾳ & γνώμῃ; dum differre ita putat, ut hæc in intellectu ſit, illa in voluntate. Nam uti Ariſt. *l.* 6. *Eth. c.* 12. loquitur, Circa quæ quis eſt prudens, circa ea ὁ συνετὸς & εὐγνώμων ſunt κριτικοὶ: præced. vero cap. γνώμην eſſe κρίσιν τοῦ ἐπιεικοῦς tradit. Ex quibus apparet ἐπιείκειαν à γνώμῃ differre, quemadmodum prudentia à judicio de prudentia,

unde

unde rem ita declaramus; judicem quatenus corrigit leges, dum in ſingularibus verſatur, prudentis officio fungi: addit enim pro ſua prudentia quippiam, dum ex jure naturæ aliud quid ſubſtituit, legiſque vim imminuit (quamvis talis prudentia ſit, quæ ex *συνεσίας* ſeu prudentiæ legislatoriæ judicio dependet.) Judicium verò de tali æquitatis introductione *γνώμη* eſt. v. g. quando partes litigantes de eo, quod prudenter à judice factum eſt in correctione legum, recte judicant. Fit enim interdum, ut prudentiam judicis non aſſecuti litigantes, de eo male & ſiniſtre ſentiant.

Certiſſimum judicium] Præſcribit judicia judici ſecundum æquum interpretaturo leges, ex quibus progredi debeat: primum facit pugnam cum naturalibus & divinis præceptis. Ex quibus colligimus neceſſarium eſſe, ut certam naturam habeat negotium, in quo pacta ex æquo judex vult corrigere: alias enim nullum jus naturale habebit, ad quod pacta conferre queat. Nam jus naturale ex naturâ cujusque negotii colligitur.

§. 27. Secundum hoc judicium idem quod prius illud arguit. putat autem Author, an quid nimis grave nec ne ſit, æſtimari poſſe, ſive ex inſpecta abſolutè conditione humanæ naturæ, ſive comparando perſonam & rem, de qua agitur cum ipſo fine actus. Sed quid per conditionem humanam intelligat, & quo-

modo inde gravitas rei cognoſci poſſit, non capio, alterum verò quod addit, perfici nequit, niſi negotium certam aliquam naturam habeat.

§. 32. Ita jus civile magis verba promittentis quam ſtipulantis attendit, quando de majori interrogatus reſpondit de minori, quia minus in majori continetur: at quando plus eſt in reſponſione, non valet obligatio niſi ad ſummam interrogatam *l.* 1. §. 4. *de V. O.* In reliquis ſi aliter reſponderit promiſſor, quàm prout interrogatus eſt, nullius momenti ſtipulatio eſt. Adeoque non omnibus negotiis humanis ex ſolis promittentis verbis forma negotii æſtimatur, quia in ſtipulatione convenire uterque exactè in mente debet.

Cap. XVII.

M*Aleficium*] definit maleficium per culpam omnem: at maleficium natura ſua dolum requirit: unde apparet, Authorem abuti vocabulo culpæ. Deinde definitio hæc & iis applicari poteſt, quæ maleficia non ſunt, v. g. commodatarius, qui rem commodatam non diligentiſſimè cuſtodit, committit culpam in non faciendo pugnantem cum eo, quod pro ratione

ratione certæ qualitatis facere homines debent, nec tamen maleficium perpetrat.

Ex tali culpa] Maleficii vox æquivoca eſt, & modò pro vitioſa ſumitur actione, quatenus ea ex injuſtitia univerſali profluit; atque tunc definiri poteſt: actus vitioſus erga alterum: modò verò ſumitur pro invita quadam commutatione ſeu actu quodam, quo de bonis externis alteri quid detrahitur, ut minus ille habeat. Et ex tali actu obligatio naturaliter oritur ad reſarciendum damnum, quod Author noſter ex ſola perſona cui illatum eſt, non addito reſpectu facientis ad patientem, æſtimat.

Vita] Inter bona externa vita numeratur, eaque hominis eſt: ſed mox addit limitationem Author, quòd hominis ſit propria non ad perdendum, ſed ad cuſtodiendum, fortaſſe hac de cauſa, quod nemo ſemet ipſum occidere poſſit. At non opus fuiſſet limitationem iſtam addere, quia & ad perdendum vita noſtra eſt, ſed non vitioſè & ex nimia iracundia vel deſperatione, verum ut pro patria pro amicis & fratribus noſtris mortem ſubeamus. Manus violentas ſibi inferre actio vitioſa eſt, quæ propter vitium prohibetur.

Corpus membra]. Hæc quidem natura videtur intendere: at interdum aberrat, dum uſu rationis deſtitui quoſdam facit, ne regere ſe poſſint: quam ob cauſam externæ cuidam

 cauſæ

cauſæ regendi ſubjiciuntur jure naturæ. Quia natura dominium rationi competit, quo privantur, quibus natura debitum uſum rationis denegavit.

Fama, honor] Non videntut hæc natura noſtra eſſe, ſed ex facto noſtro præcedente, actionibus nimirum noſtris virtuoſis, ab aliis nobis tribui. Unde Ariſtoteles *l.* 1. *Ethic. c.* 3. demonſtrat; honorem non eſſe οἰκεῖον bonum.

§. 5. Quemadmodum metus mali eſt malum quiddam.; ita futuri boni expectatio bonum externum eſt.

§. 6. Hæc velut legiſlator quidam Author præſcribit: dependent autem exinde, quod in maleficiis ſemper reſpiciendum ſit ad principium motus; in quo enim illud reperitur, is commiſiſſe dicitur. Fit autem ut principium vel ſit in uno tantum vel in pluribus, quando plures aliquid conferunt ad id, unde actio fluit. Ad maleficia autem conſilium & appetitus requiruntur; & hæc ſequitur ipſe motus. In mandante ergò ex mandatario fit concurſus quidam, dum uterque ad principium aliquid confert, mandans qui ſuggerit alteri, ut ipſius perſonam induat & repræſentet in peccando; mandatarius dum approbat & ſuſcipit faciendum. Hæc enim duo principia hîc concurrunt. Qui appetitum ſuſpenſum adhuc in commiſſuro delictum promovet,

movet, quæ impediunt removendo, quoque tenetur: ille enim ad principium, appetitum nimirum aliquid confert. Hinc eſt; quod Author dicit, teneri ex maleficio quoque eum qui conſenſum requiſitum adhibet. De adjuvante res clara eſt, ſi ſciens faciat, quia ex inſito in ipſo principio aliquid ad actionem confert, nihilque deeſt ipſi, quod ad perpetrandum delictum requiritur.

§. 7. Quia Conſilium eſt principium, unde virtuoſæ vel vitioſæ actiones dependent & æſtimantur, ſequitur eum, qui conſilium ſuppeditat, in principio concurrere.

§. 8. & 9. Videntur hi, quos Author hic enarrat non æqualiter teneri. Nam ſuprà *cap.* 1. 1. *libr.* oſtendimus in omiſſione quoſdam eſſe culpæ gradus ſecundum gradus non modo ignorantiæ in ignorante, ſed & difficultatis in ſciente.

§. 11. Videtur Author ordinem in reparando damno talem tradere: ut primo imperantes teneantur; ſecundo qui facinus commiſerunt, tertio reliqui ordine prout de iis dictum §. 7. *& ſeqq.* & quidem ita, ut qui cauſam dederunt toti actui, in ſolidum teneantur. Et per conſequens ſi imperans conveniatur, ipſe qui facinus commiſit, conveniri haud poterit ad reparationem damni: cum tamen & apud eum quid lucri ſit, ſeu plus & inæqualitas corrigenda. Hinc conſtat Authorem per repara-

tionem damni non intelligere, quod ſecundum juſtum particulare retribuendum eſt.

§. 12. Ratio eſt, quia is in quo eſt principium motus tenetur: at quæ actum per ſe conſequuntur, principium in eo habent unde actus ille eſt; dico quæ per ſe actum conſequuntur, quia eorum, quæ ex accidenti eum comitantur, principium magis in alio eſt. Porrò quæ per ſe ſequuntur ratiocinando colligi poſſunt ſecutura eſſe, & propterea gradus faciendi ſunt ex hoc, quòd vel quis ſciverit vel prævideri vel ignoraverit, & tunc iterum prout plus vel minus prudentiæ ad ſcientiam requiſitum fuerit.

§. 14. Homicida ex juſto particulari tenetur familiæ illi, cujus caput vel pars fuit perſona ab eodem occiſa; dum enim liberum quis occidit hominem damno afficit familiam, oriturque inæqualitas corrigenda. Quare Michaël Epheſius & ex hoc Author non ſatis benè ſtatuunt, tantummodo id, quod homicida impenſarum in medicos & alimentorum nomine iis quos alere ſolebat occiſus, ſolvere tenetur, deberi occiſo propter damnum, quod ex adempta ſibi ab homicida vita inſecutum eſt; & dum uxor, liberi & cognati ejus hoc accipiunt, ipſum quodammodo accipere. Eſt & hoc notandum non ad ea tantum familiæ occiſi teneri homicidam, ſi propoſitum ipſius fuerit familiam lædere, quia tunc ex propor-

tione

tione ſuprà indicata proceditur in hunc modum:

Uti homicida ad familiam, ita injuria familiæ illata ad id quod retribuendum eſt.

Adeoque non tantummodo ad ſimplex damnũ tenetur, ſed ad plus. Accidit vero damnũ ſolum reſtitui, quando non injuriam ex propoſito familiæ intulit, ſed ex iracundia occidendo fortaſſe non perpendit illud damnum ſubſecuturum; quare tunc nudo damno ſeu eo quod abeſt recompenſato, abſolvi reus poteſt. Et id in ſeqq. ſemper repetendum eſt, adeò ut quod Ariſtoteles circa reparationem tradit, tunc habeat locum ſi ſine conſilio damnum ſit illatum. Quòd ſi enim ex conſilio læſio facta ſit, dignitas perſonæ neceſſariò unà æſtimanda venit, quò veram damni æſtimationem conſequamur, ſecundum analogiam antea propoſitam. Servile enim eſſe exiſtimant homines, niſi hoc modo retributio fiat. Quod vero inter Chriſtianos obtineat, ut damno reparato ſoleamus contenti eſſe non ulciſcentes illatam injuriam, id Chriſti regula, quæ ultionem privatam prohibet, ultra juſtum exigit à Chriſtianis.

§. 14. Hoc iterum locum obtinet, ſi ſine conſilio & inter æquales mutilatio ſit facta. Nam inter inæquales ex conſilio mutilatione factâ, neceſſè eſt per analogiam dictam damnum reparari.

§. 15. Quod

§. 15. Quod de adultero dicit, fortaſſe procedit, ſi nulla eſt comparatio perſonarum adulteri ſcilicet & mariti adulteræ, ut adeò perſonæ nihil detractum ſit. v. g. ſi princeps cum ruſtici uxore rem habuerit; tunc enim ſufficiet, damnum rei familiari illatum reparari. At ſi perſonæ comparationem habeant, ut non modò rei ſed perſonæ detractum ſit: neceſſe eſt analogiam §. 13. denuo propoſitam adhibere. Sed quòd maritus plerumque ulterius agere non poſſit, fit propterea quia per intemperantiam adulteria committi ſolent, non verò ut injuria marito inferatur. Quare vitium vindicans magiſtratus, nihil relinquit marito præter damnum in familia, ut illud recuperet.

§. 16. Quæ antea monuimus non neceſſe eſt toties repetere. Hodiè quando vindicta eſt odioſa, vitium punit magiſtratus; pœnam, quæ in gratiam perſonæ eſt, omittit, & tantum quod ratione boni externi abeſt reſtitui jubet. Reſtaret enim adhuc damnum reſarciendum, ſi perſonam utriuſque attendere velimus, ejus ſcil: qui furatus eſt, & ejus cui res eſt ablata, quod inde petitur, quia non licuit ſecuro eſſe huic ab altero, cumque hoc ſervile ſit, pro damno habetur quod detrahendum eſt. Damnum autem hoc inveſtigatur ſecundum proportionem, quàm ſupra enarravimus: in quantum enim læſa perſona furem ſuperat, tanto debet:

debet ſuperare id quod furi detrahitur ob ſecuritatis violationem.

§. 21. Quemadmodum reliqua damna propterea compenſanda ſunt, quòd aliorum imprudentia nobis damno eſſe non debeat: ita quoque alterius inſtrumentis lædi ſine damni refuſione juſtas parit querelas. Impune enim fieri &ſine refuſione damni,quod inſtrumentum & pars alterius nobis intulit eſt alterius gratia ſerviliter pati. Niſi enim alterius inſtrumentum eſſet ulciſci lædentem ipſum poſſemus. Quare neceſſe eſt, ut dominus, qui mancipiorum & jumentorum directrix quædam ratio eſt, aut noxæ dedat ad vindictam eadem, aut damnum illatum ſolvat.

§. 22. In damnis adverſus honorem, famam datis per calumnias, verbera, maledicta, contumelias ſtatuit Author ſi vitioſitas actus ab effectu diſcernatur, nihil ſupereſſe, quàm reparationem damni, quæ fit culpæ confeſſione, exhibitione honoris teſtimonio innocentiæ. Verùm ad actus vitioſitatem ſola pertinet pœna; quæ emendandi gratia eſt, & ſecundum nullam proportionem infligitur, adhibito ſcilicet dolore ſufficiente ad voluptatem, quâ ad vitia impellimur, reprimendam. Et hæc pœna ad juſtitiam pertinet univerſalem. At & alia pœna eſt, quæ ex juſtitiâ particulari fluit, nec emendandi ſed vindicandi & æquandi cauſa eſt introducta, eaque per analogiam

nalogiam traditam inveſtigatur: quâ inſpectâ apparebit damnum ex verberibus aut maledictis illatum non in iis ſolis, quæ Author enarravit, conſiſtere, ſed plus continere. Et quis unquam negabit abſurdum eſſe, ſi quis magiſtratum verberavit, ſufficere ſi culpam deprecetur & poſtea pœna afficiatur, qua emendetur? Quid enim ſi de emendatione delinquentis certò conſtaret, nec de exemplo metuendum eſſet, certè quilibet fateri cogeretur, ut ſatisfiat principi, paulo ulterius progrediendum, nec in ſola deprecatione ſubſiſtendum eſſe. Sed de his cap. 20 plura tradentur.

CAP. XVIII.

LEgationum jus à natura non eſſe videtur, ſed ex hypotheſi, quatenus populi diverſi in ſocietatem nondum coierunt, adeoque bellis controverſias ſuas dirimunt. Quāvis enim Marti deciſionem committentes diſſolvant ſocietatem humanam, adeo ut jus necis mutuo competat: nihilominus tamen, cum belli finis nullus futurus eſſet, niſi certis perſonis nomine eorum, qui bella gerunt, licitum ſit ſecure colloqui, gravamina proponere & de pactis deliberare; neceſſe eſt perſonis populos

pulos repræſentantibus & nomine eorum colloquentibus ſecuritatem præberi.

§. 2. Ex præmiſſis ratio patet, quare jus legationis inter eos ſolos locum habeat, qui ſuperiorem non agnoſcunt: his enim ex hypotheſi, quod judiciis non ſubſint, jus bellandi competit.

§. 3. Præcipuum in legatione eſt admiſſio: inde enim alterum, quòd inviolabiles ſint, dependet. Nam admiſſio quaſi contractus eſt, quo legati ſuam ſalutem credunt ei, ad quem miſſi ſunt, alter verò ſecuritatem pollicetur ſive expreſſe ſive tacite. Hinc querelæ juſtæ oriuntur, ſi ſecuritas non præſtetur.

Cauſſa eſſe poteſt] Potiſſima cauſa eſt admittendi legatos, cujus gratia mittuntur: quod ſi enim finis nullus belli ſperandus eſt, niſi fortaſſe hoſtes deleti ſint in totum ob ingens facinus ab iiſdẽ commiſſum, poſſunt non admitti juſte. Hunc enim legationum finem eſſe §. 2. diximus.

§. 4. *Quare omninò ita cenſeo*] Hæc quæ Author tradit non ex præſumpto placito gentium recte colligi videntur, ſed ex hypotheſi naturaliter conſequi: Cùm enim ipſæ gentes aut reges, qui iiſdem præſunt, colloqui commode non poſſint propter intercedentes inimicitias: neceſſe eſt mandatarios conſtitui, qui eoſdem repræſentent. Unde conſtat, ſi legati quid deliquerint, puniri eos non poſſe,

quia

quia eorum perſonæ accidit repræſentare aliquem, in quo jus puniendi nullum habemus. Nec fictione hîc aliquâ opus eſt, cùm ex mandati naturâ hoc manifeſtum ſit. Quare recte Author tradit, remitendum eſſe legatum ei qui miſit, ut is aut puniat eum, aut noxæ dedat.

§. 7. Ius talionis locum non habet; quia à noſtrâ conventione & promiſſione non liberamur, uti ſupra oſtendimus; niſi ceſſante ipſa promiſſionis causâ.

§. 9. & 10. Circa debitum à legatis contractum ita videtur procedendum, ut privatis illud ex pecunia publica ſolvatur & à mittente repetatur. Nam injuſtum eſt in publicis unum ferre onera: id quod circa init. §. 10. monendum eſſe videtur.

Cap. XIX.

Humanum genus ad occultandam naturæ crudelitatem abſcondere & ab oculis hominum removere demortuos ſolet Quare non niſi in iis, qui ultra mortem quid meriti ſunt, adeò ut fatis factum non ſit læſis, ſi è medio remoti ſint ſolùm lædentes, locum aliquando habet privatio ſepulturæ. Ad hoc autem ut omnem tandem commiſerationem exuanius,

amus, quem homo erga hominem quemvis ductu naturæ habere ſolet, requiritur facinus. quod in hominem non cadit, ſed à feritate quadam proficiſcitur, quorum enim cadavera ſine ſepultura projiciuntur, feris æquantur.

Qui ex vitio iracundiæ aut nimiæ impatientiæ ſibi conſciverunt mortem, in eorum cadavera merito ſævitur: cùm humanum affectum omnem exuerint, & nihil aliud ſuperſit in eos ſtatuendo, quo reliqui deterreantur.

Nonnulli tamen] Cuilibet dominium in vitam ſuam datum eſſe, adeoque neminem propterea peccare ſi eam profundat, ſupra oſtendimus: ſed vitium ſpectari in homine, quo ductus id in ſe commiſit. Ex virtute enim pro patria nimir. pro amicis, ex pietate ergaDeum, licet ſuam vitam præbere alteri adimendam. Quò ſpectant exempla ab Authore hic allata.

Cap. XX.

Supra] Mentionem hujus rei fecit Author *c.* 1. *§.* 2. *h. lib.* ſed jam monuimus *cit. loc. & c.* 17. *h. libr.* iſtam diviſionem imponere Authori, quia damnum ab eo non rectè conſideratur: in furto enim carentia ſola rei ablatæ damnum non eſt; ſed conjunctam

ctam habet læſionem ſecuritatis & ita in reliquis commutationibus invitis ſemper quid junctum eſt, adeò ut reparatio damni prout ab Authore proponitur, locum non habeat, niſi quando ſine conſilio quid factum ſit, unde damnum emergat.

Eſt autem] Malè Author ſtatim ad pœnæ definitionem progreditur, quia vox pœnæ homonyma eſt ſignificans 1. dolorem, quo emendant Legiſlatores vitioſos homines curamque vitiis delendis adhibent. 2. illud, quod pro malo illato ſecundum juſtitiam particularem retribuitur. unde licet fortaſſe in poſteriori ſignificatione vox pœnæ ſumpta malum dici poſſit; non tamen in priori; quia ſua natura medicinæ ſimile eſt: at medicina bonum eſt quiddam.

An ad diſtributivam vel commutativam juſtitiam pœnæ ſpectent, diſputant commentatores Ariſtotelis, quos Author imitatus applicat quæſtionem illam ad ſuam, quam ſupra finxerat Aſſignatricem & expletricem: (illam enim in locum diſtributivæ; hanc in locum commutativæ ſubſtituit) unde & refutat eos, qui ad diſtributivam juſtitiam pœnas referunt; quorum Argumentum primum hoc eſt:

Ubi habetur reſpectus peccantium, & gravitati peccati gravitas pœnæ reſpondet, ibi proportio eſt geometrica & per conſequens juſtitia diſtributiva.

At

At in irrogatione pœnarum hoc obtinet.
E. Secundum argumentum:
Quod à toto parti datur ad diſtributivam pertinet juſtitiam.
pœna à toto parti datur. Ergo.
Reſpondet ad primum argumentum 1. negando Majorem. 2. ex accidenti tantum & per conſequentiam, nec primò ac per ſe ſpectari: primo enim & per ſe ſpectari æqualitatem inter culpam & pœnam. Ad alterum reſpondet 1. negando minorem 2. ſubſtituens ſuam de aſſignatrice ſententiam loco diſtributivæ, negando majorem, quod nimirum in aſſignatrice juſtitia non ſemper à toto ad partes progrediamur, nec in eo ejus eſſentia conſiſtat.

Nec tamen qui expletricem] Rejicit & ſententiam eorum, qui irrogationem pœnarum ex eo capite quaſi debeatur ex quodam velut contractu commutativæ juſtitiæ aſſcribunt. Rationem reddit, quòd alteri non acquiratur jus in delinquentem, ſed tantùm æquum ſit, ut puniatur. refert tamen ad expletricem juſtitiam irrogationem pœnarum propter jus, quod attribui putat ei, qui ſcelera puniendi poteſtatem habet. Videtur enim delinquens ſe delicto ſuo pœnæ obligaſſe & quaſi ex contractu ad eam ferendam teneri. Sed hæ confuſiones omnes originem trahunt ex igcognita pœnæ homonymia, & deinde vera perſua-

perſuaſione de duplici ſpecie juſtitiæ particularis, diſtributivæ nimirum & commutativæ. Nam ſi pœnam ſumſeris pro dolore, quo à vitiis homines deterrentur, ad juſtum particulare non refertur; quia eouſque in dolore infligendo progredimur, donec ſufficiens ſit ad deterrendos à vitioſis actionibus homines. Quod ſi vero pœnam accipias pro eo, quo inæquale corrigitur, ad duas ſpecies juſti pertinet, nimirum retributivum, quo cognoſcimus quantum pro malo illato debeatur, adeoque damnum metimur habito reſpectu variarum circumſtantiarum, perſonarum nimirum, loci, temporis &c. Cujus æſtimatione & gravitate cognita tantum lædenti detrahimus & læſo iterum addimus; id quod correctivi juſti proprium eſt, fitque ſecundum arithmeticam proportionem addendo & ſubtrahendo. Et ita fortaſſe ad argumenta rectius reſpondebimus. Ad primum non à reſpectu perſonarum ad juſtum diſtributivum argumentari licere; quia & retributivum juſtum reſpectum habet perſonarum. Alterum reſponſionem non meretur. Quæ de expletrice juſtitiâ Author tradit circa pœnas, oriuntur iterum ex neglecta conſideratione homonymiæ in vocabulo pœnæ.

§. 3. Quærit Author ſubjectum, cui jus competat exigendi pœnas. At ſi pœnam ſumamus pro eo, quod vindictæ nomine exigi-

tur

tur ſecundum juſtum particulare; jus exigendi competit læſo, & quidem ſi ſuperiorem habeat mediante magiſtratu, ſi non habeat, bello; atque ita ſubjectum non eſt incertum. Si ad coercitionem vitiorum pœna adhibeatur, inquirendum eſt, cui naturaliter vel ex legibus debeatur merum imperium: is enim quo felicem reddat Rempl. pœnis actionibus vitioſis occurret.

Cui conſequens] Loquuntur citata loca ſeqq. de correctione vitiorum, quæ iis non competit, qui ipſi reprehenſibiles ſunt; non vero de correctione, quando penes unum plus eſt, penes alterum minus.

§. 4. Iterum erratur in fine pœnæ ob non diſtinctam homonymiam: finis enim pœnæ, quæ ob vindictam eſt, eſt æqualitas; at ejus, quam dolorem dicebamus, finis eſt emendatio & vitiorum eradicatio.

§. 5. Rejicit Author pœnam, quam privati expetunt ob vindictam, non emendationem; quaſi nullius boni gratia ſit. At quamvis fatemur odioſum quiddam eam eſſe: nihilominus non injuſtè exigitur: nulla enim ex amicitiâ proveniunt laudabiliora, quam ea, quæ ex juſtitia ſunt: nihilominus tamen & Juſta illa exigere licet. Cumque Chriſtiana religio caritatem ſummam à Chriſtianis requirat: neceſſe eſt & pœnam illam vindicandi cauſa exactam Chriſtianos non decere. Progreditur

namque

namque ad laudabiliora & majora Chriſtus. Ad Authoris argumentum facilè reſponderi poteſt, nimirum negando pœnam vindicativam eſſe aliquid, quo nocetur alteri: fit enim æqualitatis introducendæ gratiâ, nec ei, cui detrahitur, quod detrahi debebat, nocetur.

§. 6. Triplicem pœnarum finem ennarrat ex Gellio *l.* 5. *c.* 14. Quòd nim. omnis pœna vel ſit in exemplum vel in emendationem, vel ut malum retribuatur & fiat exæquatio inæqualitatis. Nec Ariſtoteles pœnam, quæ ob ęquationem eſt ad συναλλακτικὴν δικαιοσύνην refert cujus nuſpiam mentionem facit; ſed dicit ſecundum geometricam proportionem dimenſionem illati damni, & poſtea ſubtrahendo addendoque exæquationem fieri.

Sed ſubtilius] Qualis hæc ſit Authoris ſubtilitas, ex iis quæ ad *cap.* 1. *hujus lib.* §. 2. notavimus, conſtare poteſt.

§. 7. Correctiones, quæ fiunt ab amicis, pœnæ non ſunt, ſed tantum ſimilitudinem quandam illarum continent, quia turpitudinem ſolum facti ob oculos ponunt; & cum amicus ſit alter ego, conſcientia quaſi mea is redditur depingens vitioſam actionem, quo impoſterum eò cautius agere diſcam.

In verberibus verò] Parentibus poteſtas competit in liberos, quemadmodum cuilibet in ſeipſum ad reſiſtendum affectibus: ſunt enim liberi

liberi parentum quædam pars. Et hæc quoque pœnæ non videntur eſſe propriè dictæ tales.

§. 8. Tradit utilitatem ejus cujus intererat peccatum non eſſe, in eo ſitam, ne poſthac tale quid patiatur aut ab eodem aut ab aliis. Sed licet hi effectus concomitentur pœnam vindicativam, non tamen ab iis natura illius æſtimanda eſt. Nam licet ſciamus utilitatem illam obtineri non poſſe, tamen pæna vindicans infligitur, quò æquale obtineatur: ſervile enim eſt ab altero temerè quid pati.

Sed quia in rebus] Rectè demonſtrat pœnam vindicativam non temerè cujuſlibet privati judicio committendam eſſe, propterea, quia de rebus noſtris & noſtrorum judicantes affectu corrumpimur. Adeoque videmus magnam adhuc imperfectionem eſſe in ſocietate humani generis, quòd diverſi populi nulla inter ſe conſtituerint judicia, & quæ ratione dirimi poterant, pro cujuſlibet judicio & facultate vindicandi, bello definiantur.

Manet tamen] Demonſtratum eſt ſuperius, tunc tandem hominibus vindictam, quæ propriâ vi exercetur, concedi poſſe, ſi judiciis non eſt locus, unde non rectè videtur Author ultionem privatam ad naturalem libertatem revocare. Nam non ſervile eſt, magiſtratui & judiciis ultionem committere; ſed potius libertatis, quæ non in hoc conſiſtit, ut affectibus indulgeamus, ſed ut ſecundum rectam ra-

tionem ſingula faciamus. Et quia de noſtris judicantes affectibus ſæpe præcipimur: rectius facimus ſi aliis judicium committamus.

Nec aliunde.] Videntur illa duella propterea tolli non poſſe inter Chriſtianos, quòd magiſtratus non ſoleant in pœna vindicativâ læſis prompte ſuccurrere.

§. 9. Pertinet hoc pœnæ genus ad juſtitiam univerſalem. Nam id agunt legiſlatores, ut doloribus impreſſis vitioſi emendentur, aut ſublatis iiſdem purgetur civitas vitiis, ne toti civitati nóceatur.

Sed cum & facti] Penes quem merum imperium eſſe debeat naturaliter, in politicis inquiri ſolet. Et hûc referri poteſt integer liber tertius Ariſtotelis de Republ.

§. 10. Circa pœnas illas, quibus repelluntur vitia, non dubium eſt, quin lex Euangelica nihil mutare potuerit: quod enim neceſſarium eſt ad obtinendum ut virtuoſe vivatur, improbari nequit. At pœnæ vindicativæ, poſtquam ſummam caritatem lex Euangelica præcepit, redditæ videntur non modo odioſæ ſed & Chriſtiano homine indignæ.

§. 18. Quærit Author an omnes actus vitioſi puniri poſſint ab hominibus: Et primum excipit actus internos, etiamſi per confeſſionem ſubſecutam ad notitiam aliorum perveniant. Rationem reddit quòd naturæ humanæ congruum non ſit, ut ex actibus mere internis

jus

Jus aut obligatio inter homines naſcatur. At in criminalibus & vitioſis actionibus puniendis præcipue inſpicitur conſilium, nec ſemper neceſſe eſt, ut actus externus accedat; unde non abſurdum eſt eos, qui malum aliquod conſilium ſuſceperunt ad interitum totius Reipubl, aut ejus qui τὸ κύριον habet pertingens; puniri, licet nihil ad effectum deduxerint. Monet ſecundo Author, non punienda eſſe ea, quæ homo ob inbecillitatem effugere nequit. Ratio eſt, quia vicina ſunt ei, quod fieri non poſſet, & cum ad impoſſibilia vi coactiva impelli plane non poſſimus, hinc fit ut eò plus veniæ mereamur, quò difficiliora ſunt, quæ leges præſtanda injunxerunt.

§. 20. Tertiò monet Author ea non punienda eſſe, quæ nec directe nec indirecte ſpectant ad ſocietatem humanam aut ad hominem alterum. Ratio quam reddit, infirma admodum eſt. Cur enim non omnia peccata punienda Deo committuntur? vera autem ratio hæc eſt, quòd virtutum & vitiorum curam habeant legiſlatores quatenus ex iis actiones profluunt ſalutem civitatis vel conſervantes vel deſtruentes. Eouſque enim ejus, qui ſummam poteſtatem habet, officium ſe extendit, ut per ſingularum ſocietatis civilis partium virtutes ſalva ſit civitas. Hinc emendandas partes emendat, incurabiles è medio tollit.

Puniendi quoque non ſunt] Excipit à pœ-

nis actus oppoſitos iis virtutibus quarum natura coactionem omnem repudiat, & hiſce virtutibus annumerat miſericordiam & gratiæ relationem; quarum tamen hæc pars quædam amicitiæ eſt, illa affectus inſerviens liberalitati & ad eam incitans: At liberalitatis contraria pœnis quam maximè afficiuntur: ſi enim quis ex avaritiâ pecuniam accipiat, unde non debebat, & per hoc lædat felicitatem Reipubl; ipſius vitium omnino puniendum eſt: ita leges prohibent magiſtratibus & judicibus dona accipere ab iis, in quos Jurisdictionem habent.

Tractat hanc quæſtionem] Gratus animus, uti dictum, ad amicitiam ſpectat & propterea leges remunerationem beneficiorum ſingulorum benevolentiæ committere ſolent. Non enim eſſet remuneratio amicitiæ propria, ſi ex coactione & non ex benevolentiâ proveniret. At ſi inſignia ſint beneficia, ut ingratus animus ejus, cui beneficium exhibitum eſt, vitium quoddam indicet, ſæpè Reſpubl. præſertim ſi ſuâ intereſt, pœnam addit. ita ingrati liberti in ſervitutem revocantur.

§. 21. In hac quæſtione utrum pœnæ remitti poſſint, iterum diſtinguo inter pœnam vindicativam, quam remittere non modò non eſt injuſtum, ſed etiam ſi ex caritate fiat, laudabile; & inter pœnam vitiis irrogandam; quia ſi impunitate accreſcunt vitia, magi-

ſtratus

ſtratus non ſemper ſalvâ conſcientia ignoſcere criminibus poteſt.

§. 22. Si diſtinctionem pœnæ aliquoties repetitam in ſeqq. adhibemus, licebit quoque facilius ſingula explicare. Statuit Author, ante legem pœnalem pœnæ locum eſſe; ſed non neceſſarium eſſe, ut à Magiſtratu exigatur; idque obſcurè admodum probat: Nos ex veris fundamentis rem ita decidimus; ſi actio vitioſa lædens Rempul. commiſſa ſit cui conſtituta pœna non eſt, rectius reticeri vitium hactenus incognitum nec publicè pœnam exigendam eſſe. Nam pœnarum emendantium finis eſt, ut civitas vitiis purgetur: facilius autem vitioſæ actiones ceſſant, ſi vitia ipſa ignorentur, quàm ſi pœnis iiſdem conemur occurrere. Cùm ergò reticentes crimen magis finem obtineamus, publicam pœnam juſtè omittere poſſumus.

Secundi in eo] Fieri poteſt, ſi vitioſæ actiones à virtuoſis quaſi obfuſcentur, ut impunitæ maneant; ita enim ad virtuoſas actiones allicientur homines, & finem ſuum, operationem ſcil. ſecundum virtutes, legiſlator obtinebit.

Tertii in eo] Confuſè Author de pœnis loquitur; quia hæc quodammodo pertinent ad vindicativam pœnam.

Iuſtitiæ pars illa] Ratio eſt, quia pœna vindicativa fit ſecundum proportionem geo-

metricam, à qua judex recedere nequit: at pœnæ emendantes in dolore conſiſtunt, quo vitioſis voluptatibus hominum occurrimus, eumque ſupremam poteſtatem habens augere vel minuere pro arbitrio poteſt: modò id fiat non animo permittendi vitia, aut ex crudelitate.

§. 25. Tradit, recedi à lege poſſe ſi dura ſit pœna ad factum comparata. At in omni pœna quæ vitii tollendi cauſſa infligitur, attenditur non modò damnum Reipul. ex vitioſâ actione proveniens, ſed etiam 1. proclivitas, ſi natura proni ſint cives ad vitium aliquod. 2. ſi magis à medio quod virtus quærit diſtet, quam aliud quippiam. 3. Si agens latere poſſit.

Id autem maxime] Gradus ignorantiæ & difficultatis ſemper minuunt pœnas, cujus rationes propoſuimus ſupra *cap.* 1. *hujus libri.*

§. 28. Quod meritum concernit, in pœnâ vindicativa juxta proportionem, cujus ſæpe eſt facta mentio, fit retributio. At in vitiis propulſandis pœna merito non ſemper reſpondet, ſed dolor eouſque augetur, donec ſufficiens ſit ad repellendas vitioſas actiones.

§. 30. Iterum probe ſeparare convenit pœnam vindicativam à pœna, qua vitia tolluntur. In pœna vindicativa neceſſe eſt delicta conſummata eſſe, aliàs enim plus minuſque quod

inæqua-

inæqualitatem conſtituit, oriri nequit. In vitiis ſpectatur animus, adeoque conatus aliquando punitur; ille enim animum indicat, eoque fortius, quo ulterius in actione progreſſus eſt delinquens.

Maxima hic eſt] Facit Author ordinem delictorum ratione gravitatis. At fieri poteſt, ut hæc delicta æquali pœna afficiantur, & quidem jure naturæ, aut ut furtum gravius quam homicidium puniatur, ſi reſpiciendo ad vitia inferatur pœna. Ita recte pœna furti apud Germanos gravior eſt, quam vulgo homicidii; quia vitium difficilius tollitur, utpote cum magis latere poſſit & ob frequentiam naturalem propenſionem arguat. Sic adulterium æquali cum homicidio pœna afficitur, quia latere magis poteſt.

Inter cauſas] Arguunt hæc malitiam hominis, ſi inſuper habitis omnibus damnis emergentibus affectui ſuo indulgere voluit.

Atque hoc inde quoque] Hæ pœnæ omnes propter vitium infliguntur, nec ad τὸ ἀντιπεπονθὸς pertinent. Ex his perſpicere licet, quid incommodi afferatur, ſi pœnæ genera ſecundum duplicem juſtitiam non diſtinguantur.

§. 33. Mera hic iterum confuſio eſt pœnæ duplicis, cujus ſæpiſſime mentionem fecimus. De mulcta certum eſt, eam in paupere & divite eandem non eſſe, diverſóſque parere dolores, unde diverſitas ſummæ in vitiis cor-

rigendis adhibetur : mulcta enim ad corrigenda vitia pertinet, id tamen non attenditur in pœna vindicativa, quando læſus ſuam injuriam æſtimat.

Et vili] Id locum habet in vindicativa pœna, quando adhibemus proportionem; uti lædens ad læſum, ita illatum ad referendum.

Unde harmonicam] Quas nugas agat Bodinus circa proportionem harmonicam, alibi demonſtrandi locus erit; nulla enim datur proportio harmonica contradiſtincta geometricæ vel arithmeticæ proportioni, quia conſonantia demonſtratur per commenſurabilitatem ſeu proportionem in numeris.

§. 35. Pertinet hoc ad ea, quæ narravi ſupra de gradibus pœnarum ratione facilitatis latendi.

Conſuetudo facti] Videtur hæc locum habere in ſtatu populari, ubi merum imperium eſt penes populum: quomodo enim ille poterit puniri à populo ob vitium, quaſi felicitati civitatis impedimento ſit, qui plerorumque exemplo aliquid committit? In Monarchico ſtatu aliter ſe videtur res habere, ut quo plures ſint peccantes, eo magis exacerbetur pœna.

§. 35, Solent plerumque mitiores pœnæ infligi, quàm legibus comprehenduntur, quia legumlatores pœnis deterrent homines à vitiis; quòd ſi vitioſa actio perpetrata ſit, conveniens

veniens eſt rigorem comminationis gratiâ adhibitum mitigare.

§. 39. Catonis ſententia ſine dubio locum habet in vindicativâ pœnâ, non in eâ, quâ vitia tollimus; & de poſteriori pœna loquitur Seneca in dicto, quod Author citat.

Sed nec omnis] Ratio hujus rei ex fundamento noſtro dependet: ſi enim nullâ in re læſa ſit ſecuritas, licet quid mali attentaverit alter: nihil in ipſo vindicari poteſt; niſi dicamus ſervile etiam eſſe, ſi teneamur ferre, ut alter mali quippiam nobis inferre tentet.

§. 40. Nulli jus corrigendi vitia hominum & in officio retinendi competit, niſi ſuperiori. Hinc inanis eſt ſubtilitas Authoris, contendentis, penes ſummas poteſtates jus eſſe exigendi non quatenus aliis imperant, ſed quatenus nemini parent. Ipſe Author *init. §. 7. hujus cap.* faſſus eſt, iis competere correctionem, qui judicio valent ac vitiis paribus non tenentur: hoc vero eſt ſuperiorem eſſe. Hinc eleganter Ariſtoteles in Elenchis ſophiſticis demonſtrat, quare Sophiſtæ hoc appetant, ut videantur reliquos corrigere poſſe; quia omnes homines imperare & reliquis ſuperiores eſſe volunt: corrigere autem poſſe eſt ſuperiorem eſſe.

Quod de Perſis] Si Ariſtoteles in ſpecie id aſſeruit de Perſis, quod in eos natura Græcis competat dominium: non profecto Author

judicare poteſt, an recte vel ſecus id factum ſit; quia melius tunc temporis Ariſtoteli ingenium Perſarum quam nunc Authori cognitum fuit. Deinde nec Ariſtoteles videtur ſimpliciter Græcis in Barbaros aſſignare imperium velle: neque enim ex Barbaris & ſervilibus hominibus ſemper ſerviles, uti nec ex liberis liberali ingenio præditos naſci, compertum ſtatuit *lib.* 1. *politic. c.* 6.

Et quod Iſocrates] Axioma eſt politicum ab experientia petitum *Ariſtot. lib.* 1. *polit. c.* 5. In omnibus enim compoſitis ex inæqualibus ſalus minoris ſeu inferioris in hoc conſiſtit, ut ſuperiori pareat. Id quod non modò in animatis cernitur, in quibus corpus animæ non niſi vitioſe & ad interitum totius non pareat. Cumque natura inter omnes homines ſocietatem eſſe voluerit, & inæquales produxerit, alterum altero majori prudentiâ inſtructum & præditum: neceſſe eſt ſalutem hominum minus prudentium in hoc conſiſtere, ut ſuperioribus pareant: quo non facto vi ab iiſdem adigi poſſunt, ne per denegationem imperii infelix reddatur humanum genus. Cùm autem quemadmodum in partibus unius hominis duplex imperium cernitur; alterum quo anima corpori præeſt, alterum quo ratio appetitui; quorum illud ſtrictius eſt, hoc laxius: ita & inter homines diverſos hæc imperia naturaliter locum habent: In eos enim, qui

qui ſe ad nos habent ut corpus ad animam, datur imperium ſtrictius, quod herile vocamus: in reliquos, qui ſe ad nos habent ut appetitus ad rationem, datur laxius imperium, quod civile vocari poteſt. Et has ob cauſas in barbaros recte ſtatuit Ariſtoteles bellum naturaliter juſtum eſſe & quaſi venationem quandam. Ex hoc fundamento Europæis, & in ſpecie iis qui in locum occidentalis Romani imperii ſucceſſerunt, attribuimus imperium in totum orbem tanquam prudentiſſimis, & reliquis populis longe ſuperioribus.

§. 43. Non bene ſatis confert Author cognitionem rerum honeſtarum hic in pœnis infligendis attendendam cum cognitione mathematica. Vulgus enim omnes ignorat demonſtrationes & ſæpe magis habet cognitas concluſiones quâm propoſitiones eas, quæ cauſas continent, per quas fit demonſtratio. Sic vulgus magis novit propoſitionem hanc, parentes ſummo honore colendos eſſe, quàm eam ex qua demonſtratur: iis ſcil. qui nos maximis beneficiis affecerunt eò plus honoris retribuendum eſſe, quò minus pro beneficio refundi poteſt. Ratio eſt, quia alia ſunt notiora nobis, alia naturâ: ſcientia autem ex naturâ notioribus progreditur ſeu univerſalioribus, quæ ſtupida vulgi natura non admittit. Ita Deum eſſe notius eſt, quàm id ex quo philoſophi illud de-

monſtrant uti ex *ſeqq. §is* 44. 45 & 46. apparet. Si ergò quid attendendum erit, ad notiora nobis erit reſpiciendum. At fortaſſe nihil reſpiciendum eſt, quia ignorantia univerſalium à pœnis non excuſat: hinc imprudentiores prudentiorum imperium audire tenentur; ſi ipſi iuveſtigare cognitu neceſſaria ad beatam vitam non poſſunt.

Sicut ergo circa] Juris ignorantia non excuſat: quibus enim ratiocinationis inbecillitas obſtat, audire ſuperiores tenentur, & ſi recuſent, cogendi ſunt, quò ſocietas humana ſalva exiſtat. Ad hoc tamen facere ignorantia illa poteſt, ut lenius quodammodo tractentur, ſi poſt commiſſas actiones vitioſas audire parati ſint rationem.

§. 44. & ſeqq. Quæ *ſeqq. §is* tradit late, brevius ita comprehendi poſſunt: quia naturaliter melioribus in deteriores imperium competit, ſalvâ cenſcientiâ poſſunt ii, qui veram Dei cognitionem habent atheos bellis ad verum Dei cultum adigere; hoc einm ad ipſorum ſalutem & felicitatem ſpectat, nec ullâ ii afficiuntur injuria. Si qui verò ſunt, qui ab illâ cognitione Dei veri ſeducunt homines, pœnâ quoque peculari afficiendi erunt; Et hac de cauſâ Europeis in reliquos populos totius mundi imperium tribuimus.

§. 48. Non dubito, quin barbari homines tanquam deteriores Chriſtianis velut melioribus

lioribus & prudentioribus ſubjecti ſint, eoſque audire teneantur: & propterea imperatorem noſtrum tanquam defenſorem & propagatorem religionis Chriſtianæ totius orbis caput rectè dici: eſt enim inter ſuperiores barbaris ſummas.

§. 49. Peccant ergò omnes Reges Chriſtiani, qui imperatori noſtro vindicaturo injurias Chriſtianis à Turcis illatas non aſſiſtunt, ſed potius autoritatem ejus imminuere ſtudent. Quâ tamen re nihil ſibi parant commodi, ſed totum orbem Chriſtianum in extremas calamitates conjiciunt.

Cap. XXI.

N*On tamen ſemper*] Recte monet non ſemper ubi damni obligatio eſt, ibi quoque delictum eſſe. Nam ſi ex culpa damnum datum ſit, quia ob imprudentiam vel negligentiam aliorum id ferre non tenemur; neceſſe eſt, ut is, cujus imprudentia vel negligentia illatum eſt, obligetur ad illud præſtandum. Imo quamvis nec per imprudentiam vel negligentiam alii nos læſerint, ſi tamen per eos etiam ignorantes detractum nobis quid ſit, illud ab iiſdem repetere juſtum eſt. Et hinc ſupra diximus oriri actiones

nes reales ; neque enim de perſonâ diſputamus, quaſi nobis obligata ſit ad reſtituendum, ſed tantum de dominio rei vel quaſi, quo probato penes alterum res permanere nequit.

§. 2. Tota communitas ex facto partis ſocietatis, niſi ejus conſilium, ſcientia, imprudentia vel negligentia acceſſerit, non tenetur; non aliter ac homo, cujus manus dormiente eodem alterum percuſſit. At diverſitas tamen quædam ſubeſt: manus enim hominis non eſt pars æquè ab homine ſeparabilis, ac homo pars ſocietatis civilis: deinde nec ipſa prudentiam in ſe habet, quemadmodum homo: unde ſequitur civilem ſocietatem teneri vel ad partem illam noxæ dandam aut dimittendam, aut ad damnum rependendum.

De patientia] Imperans enim mens quædam eſt dirigens partes ſocietatis. Quemadmodum ergo homo ferientem manum ſuam tenetur retrahere, ſi poteſt, niſi ipſe haberi velit pro verberante: ita quoque circa imperantem ſe res habet, quando pars quædam ſocietatis quid perpetrat. Quod ſi autem pars vitioſa à turpi vel injuſto prohiberi nequit; æque eſt ac ſi brachium ex morbo in contrarias partes fortius moveatur; & tunc homo quoque teneri nequit, ſi eo modo damnum alteri inferatur.

§. 5. & 6. Jus aſylorum in iis delictis admitttitur, quæ non dolo commiſſa ſunt, ſed

vel

vel culpa vel ignorantia, ut interim de juſtitia cauſæ cognoſci poſſit, nec præter meritum non ſatis cognita cauſa ad ſupplicium procedatur.

§. 8. Quemadmodum pœnæ non tranſeunt in hæredem; licet ille defunctum patrem ſuum repræſentet: ita nec in univerſitate ad ſucceſſores.

§. 11. Fidejuſſores non poſſunt obligari ad pœnam exſolvendam, præterquam pecuniariam. Nam quod ad vindicativam attinet pœnam, neceſſe eſt eum qui exigit eandem, afficere fidejuſſorem injuria, cum ſciat, illum non habere regreſſum adverſus principalem, ſi præſertim vita adimatur, uti & in omnibus aliis pœnis quibus fit detractio ejus quod reſtitui nequit. Pœnæ verò quibus vitia coërcentur fruſtrà infliguntur ei, qui non deliquit.

§. 12. & 13. Quia in pœna omni conſilium intuemur, ad principia actionum vitioſarum progredientes; neceſſe eſt alium puniri non poſſe, quam in quo principium delicti deprehenditur. Quamvis non omninò injuſte, etiam quandoque ad liberos extendi pœna poſſit. Quod ſi enim ob facinus enormiter lædens ſocietatem civilem conducat quandoque puniendo ulterius & ad liberos etiam progredi, ne memoria exſtet facinoris, id injuſtum non eſt; quippe cum inſerviat felicitati Reipubl.

Cap. XXII.

Quemadmodum natura omnia ducuntur ad ſui conſervationem, non modo tollendo mala, quæ jam inhærent, ſed & impediendo futura: ita quoque ſocietates humanæ omnia quæ nocere poſſunt, tollunt, quò ſalvæ ſint. An etiam hoc ſe extendat ad innocentes à quibus metuimus malum, cum tamen de animo inferendi nondum conſtet, dubium eſt. Author noſter requirit certitudinem de animo afficiendi damno. Dubitandi autem ratio eſt: quemadmodum enim in civitatibus ſinguli propter excellentiam, quam habent, etiam plerumque aliquam ad imperandum ſumunt prærogativam; cui præcavendo juſte oſtraciſmus adhiberi poteſt, concedente id Ariſtotele *lib. 3. polit. c.* 23. modo non ex virtute excellentia ſit. Ita & inter populos videtur res ſe habere, ut is qui potentior ſit, reliquis dominari conetur: an ergo tunc uti in civitatibus oſtraciſmo, ita inter populos bello obviam ire licet? fortaſſe vero durum videtur diſſolvere ſocietatem humanam ob ſolam alterius potentiam; quin potius aliis remediis opus eſſe videtur, pactionibus nim. & fœderibus plurium populorum, quibus facile occurri potentiori

tentiori licet. Aut vero ſi attendamus ſtudium augendi potentiam, quia illud vitium eſt corrumpens tranquillitatem ſocietatis humanæ, nec magiſtratus ſint, quibus id corrigi poſſit; non videtur abſurdum ſtatuere populum ad ſui felicitatem & conſervationem in tempore illi vitio occurrere poſſe.

§. 10. Ad dominium intellectus perfectionem non requiri certum eſt, quia domini ſolent ob vilitatem imperandi ſervis & curandi rem familiarem aliis hoc negotium committere. Id tamen verum eſt, ei qui ratione pollet, imperium naturaliter deberi in alrerum qui uſu rationis deſtitutus nil niſi rationem audire poteſt. Et quamvis ex morbo dominus prudenter ipſe præeſſe nequeat; non tamen per hoc, quæ ſemel illius gratia eſſe cœperunt, deſinunt talia eſſe, ſed manent ejuſdem, ſubſtituta alterius ratione, quæ dirigat.

Malè ergò Græci] Non rectè Author percipit Græcorum mentem; neque enim propterea illi barbaros ſerviles vocant & imperio herili ſubiiciendos quaſi non poſſint facere, quæ ad conſervationem vitæ in agricultura, paſtura &c. ſunt neceſſaria; quia hoc ſervi ſcire ſolent. Perfectionem autem ſuam ſocietates domeſticę ex ſocietate civili capiunt: unde nemo paterfamilias & abſolutus dominus rerum ſuarum eſſe poteſt, niſi idem quoque & civis eſſe queat. Hinc licet barbaris ſpeciem dominii concedere

poſſimus

poſſimus & quaſi familiam ; totas tamen univerſitates à liberorum hominum ſocietate ſeu civitate dirigi fas eſt. Videntur enim hæ ſocietates ad civitatum talium commodum productę, ut iiſdem inſerviant.

§. 11. Negat Author quemquam ita liberum eſſe, quin ad ſervitutem cogi non poſſit: atque ita ſervitus ex mente ipſius in ſolo facto & vi conſiſtet, imo fortuna, nec ulla erit libertas aut ſervitus juris naturæ. Hoc vero falſum eſſe cogimur pronunciare, niſi omnem politicam ſcientiam evertere & jus naturale circa imperium & ſubjectionem negare velimus. Sed de his pluribus aliquando dicetur in *not. noſtris ad politic. Ariſt. l.* 1. *cap.* 5.

§. 12. *Non enim ſi quid alicui*] omninò ſi quid alteri mihique utile futurum eſt, & is à naturâ mei gratiâ factus ſit, poſſum eum juſtè vi ſubjicere. At homines, qui ſe habent ut corpora, natura ſunt eorum gratia, qui animam humanam reſpectu illorum repræſentant, neutraque pars ſine altera eſſe poteſt; quia & homines liberi & civitates liberæ talibus indigent inſtrumentis, eſtque in eorum quoque utilitatem ita ſubjici: id quod ex ruſticis noſtris manifeſtum eſt. Rectè ergò ſi denegent imperium, vi adigi poterunt: quod enim naturaliter juſtum eſt, & nobis debetur, exigere vi licet, niſi omnia bella injuſta dicere velis. At tales homines, qui be-

ſtiarum

ſtiarum more viventes ſine rationis uſu & virtute naturali producti à naturâ ſunt, ſi natura nihil fruſtra facit, quòd ſint prudentium & virtuoſorum gratiâ facti dubitandum non eſt.

§. 13. *Nam commoda*] Leve eſt argumentum Authoris; non enim dicimus imperatorem ſingulis imperare debere, ſed ſocietati populorum ut ſummum directorem præeſſe. Nam populis Chriſtiani orbis naturaliter tanquam melioribus imperium competit.

Deinde verò conceſſo] falſum eſt jus imperii non ſequi, niſi ex conſenſu aut pœnâ. Hoc enim natura dedit quibuſlibet in alios eo ipſo, dum prudentiam & virtutes iis tribuit, quos aliis denegavit.

Ne omnia quidem] Fateor quidem reliquis regibus Chriſtianis noſtrum imperatorem herili imperio non præeſſe, cum ipſi ſibi ſufficienter proſpicere valeant. At cùm Chriſtianis conjunctim debeatur in reliquos tanquam barbaros imperium, quibus & ſalutare omninò eſſet vi ſubjici; idque abſolvi non poſſit, niſi unus rei gerendæ præficiatur, dico imperatori noſtro velut principali, etiam conſenſu reliquorum id deberi: quod & ipſe Author ſupra confeſſus eſt. Dominum autem orbis eum dicere, eo in ſenſu, quaſi ipſius omnia ſint quemadmodum fundi ſunt privatorum, id verò fortaſſis ridiculum eſt.

§. 14. Cum

§. 14. Cum hodie miracula non fiant, ſed negotium propagandæ & defendendæ religionis prudentiæ noſtræ relictum ſit, quâ & Deus nos naturaliter præditos præ reliquis produxit, & fortitudinem artemque militarem callere conceſſit: non dubito, quin graviter peccemus, quando iis inſtrumentis, quibus gentilibus terrori eſſe deberemus, in nosmetipſos ſæviendo utimur.

§. 16. Donata exigi poſſunt, licet ex liberalitate proficiſcantur, ſi ob cauſſam data effecerint, nos aliquid egiſſe, quod nunquam alterius gratiâ alias præſtitiſſemus.

Nam qui beneficium] Ingratum animum ut vitioſum corrigi poſſe & pœnâ emendari, dubitari non poteſt.

CAP. XXIII.

§. 2. VNiverſalia quibus prudentes utuntur in ſyllogiſmis, dum circa ſingularia ſunt occupati, contingentes propoſitiones ſunt, quæ quidem ut plurimum procedunt, quandoque tamen applicari ad ſingularia nequeunt, unde limitatione indigent, quâ æquum bonum producitur. Quare quando dubitamus de jure belli, ſatius eſt à bello abſtinere & ad æquitatem inclinare.

§. 4. Non

§. 4. Non recte Author videtur regibus opinionem attribuere: neque enim in iis ſufficit, conſiliariis fidem dare: ſed cùm ob multitudinem negotiorum ipſi mediis inveſtigandis in omnibus rebus ad felicitatem conducentibus vacare non poſſint: hoc tamen in iis requiritur, ut judicent, an ſalutariter inventa ſint nec ne. Neque enim opinari eos decet juſta & utilia ea eſſe, quæ a ſapientibus pronunciata ſunt, ſed de iis judicare..

§. 6. Tria notat Author quibus vitari poſſit bellum; quorum duo priora non tantum tum neceſſaria videntur, ſi nos ipſi dubitemus, ſed plerumque quia de propriis propter affectus raro ipſi bene judicamus; & non perpenſis objectionibus ſæpe juſtitiam aliquam cauſſæ nobis fingimus, ubi nulla eſt.

§. 11. Poſſidentis conditio melior eſt, quia ille opinione dominus eſt; ad opinionem autem evertendam firmiſſimæ requiruntur demonſtrationes, ex re ipſa petitæ.

Cap. XXIV.

QUæ in hoc capite proponuntur pleraque Oratoria ſunt, *vid. Ariſt. Rhet. ad Alex cap.* 3. pro ſuadendo enim bello licet allegare injuriam aut noſtram aut amicorum,

Digitized by Google

qua provocati ad ultionem bellum ſuſcipere tenemur. item publicam utilitatem, gloriam, opes, vires, facultatem victoriam quæ oſtenditur ex Dei benevolentia, multitudine hominum, quibus civitas inſtructa eſt, divitiis, imperatoris prudentia, opportunitate. E contrario ad diſſuadendum bellum faciunt, extenuare injuriam, ob oculos ponere calamitates belli, ea quibus victoria paratur media magis hoſtibus adeſſe. Eouſque autem Author hic progreditur, ut etiam quæ generalia de genere deliberativo in Rhetoricis proponi ſolent §. 5. immiſceat.

§. 6. *At aliud*] Vita hominis in hoc conſiſtit, ut ratio recta dirigat eandem, ſine ea enim homo æquivoce homo dicitur. Quare ſequitur melius eſſe per virtutem interire, quam vivendo non vivere, id eſt beſtialem traducere vitam: eſt autem ſervitus ejuſmodi vita.

§. 7. Ex hoc §. apparet injuſtitia ſumma, quæ oritur inde, quod univerſum humanum genus nondum ſocietatem univerſalem inierit: nullus enim, niſi viribus ſuperior, quod iuſtum eſt, obtinere poteſt.

CAP.

Cap. XXV.

§. 1. Quemadmodum injuria illata parti familiæ, patrifamilias illata eſt: ita quoque injuria ſubditis illata pertingit ad injuriam ejus, qui præeſt: mens enim eſt, & id primum, unde dependent civitatis totius actiones.

§. 2. Quo nobilior eſt pars ſocietatis, quæ læditur, eo majori injuria per eam tota ſocietas afficitur; quo ignobilior, eo levior injuria eſt, ut interdum contemnenda veniat.

§. 3. Quemadmodum in corpore humano ſæpe una pars negligenda, quo totum conſervetur: ita quoque interdum pars civitatis, quo tota ſocietas ſalva ſit.

An vero etiam] Verum quidem eſt, quemvis bonum civem ad hoc teneri, ut pro conſervatione patriæ vitam profundat; quia ob ſumma beneficia vitam ſuam & omnia eidem debet: at hoc non videtur ſequi, ſocietatem poſſe poſtulanti hoſti ſuum civem jure tradere: ſervile enim eſt partem ſuam teneri ſine cauſa ad ludibrium alteri præbere: cumque libertas carior vita nobis eſſe debeat (ut ſuprà ex eo demonſtravimus, quia deterius eſt, rationem habere, & tamen beſtiarum more ſubjectum eſſe alteri

alteri, quam in nihilum redigi: beſtiæ enim ratione carentes reguntur ab hominibus & naturaliter ad rationis ſubjectionem ducuntur, cum nullam propriam habeant: at homines uſu rationis prædìti, ſi ſe apppetitui alterius ſubjicere debent, pluſquam mortem oppetunt) utique partem aliquam dedere hoſti ſine cauſa exigenti non poſſumus: ſatius enim eſt omnes mori, quam in ludibrium aliis ſervire.

Sed hoc poſito] Recte ſtatuit Author cives ab eo, qui merum imperium habet, ad virtutis actiones, quibus conſervatur Reſpubl. adigi poſſe. Ex hoc enim fundamento vitia omnia puniuntur.

§. 5. Pro amicis laudabilius eſt pugnare, quam in propria cauſſa: unde & paratiores & promptiores ad bellum hoc eſſe debemus; cum majori enim virtute eſt conjunctum; quam ſi propriam injuriam vindicamus: laudabile enim eſt, de ſuo jure quid remittere.

§. 7. Quia in humano genere ita comparatum eſt, ut propter nullam univerſalem inter eos ſocietatem quivis potentior quidvis in inferiorem poſſit, & illo defectu honeſtum eſſe videtur ut alter alteri injuſtè oppreſſo ſubveniat.

Cap.

CAP. XXVI.

Confundere videtur hîc Autor imperia herilia cũ civilibus, & ex ſervi qualitate argumentari ad cives, quæ tamẽ omninò hîc diſtinguenda ſunt. Quo laxius enim eſt imperium, eo facilius, ſi de juſtitiâ imperii dubitatur, contradici poteſt, id quod in politico regimine, quòd inter æquales magis eſt, ſatis apparet. Si tamen definiendum eſt, quod plerumque ita ſe habet, dicerem, in dubio parendum eſſe magiſtratui: ſubditorum enim eſt bonam opinionem de juſſis imperantium habere, nec decet eos in rationes ſemper inquirere. *vid. Ariſt. lib.* 3. *c.* 4. *politic.*

Et Adrianus noſtras] Non eſt tutior ſententia repugnare juſſibus magiſtratus, cujus eſt juſta, honeſta & utilia præcipere: Nam non ſolum periculum inobedientiæ ab altera parte eſt; verùm etiam incommodum patriæ, cujus ſalutem imperantes reſpicere præſumuntur. ubi tutius eſt ſubditis parere, quam ſcrupuloſe inquirendo in juſtitiam belli periculum patriæ parere. Nec diſtinctio inter ſuaſorias & juſtificas cauſas videtur quicquam ad rem facere. Admiſimus enim in præcedd: ob felicitatem reipubl. multa facienda eſſe,

quæ fortaſſe nullam præ ſe juſtitiam ferunt: quemadmodum in crimine læſæ Majeſt. ad liberos etiam puniendo progredimur; in liberis rebuspubl. ut ſtatus conſervetur, oſtraciſmum Ariſtoteles admittit *lib. 3. politic.*

LIBER III.

CAP. I.

ACTIONES non æſtimationem omnem à fine conſequuntur, licet finis præcipua circumſtantia ſit: ſed neceſſe eſt omnes circumſtantias concurrere. unde non poſſum aſſentiri regulæ: Ea omnia, quæ ad finem juris ducunt, ita comparata eſſe, ut ad ea jus habere intelligamur. Quid ſi enim ad jus meum conſequendum opus haberem prius patrem occidere aut hominem corrumpere? *vid. Author infr.* §. 21. & 22.

Quare ſi vitam] Juſtum non eſt, ſi vitam alteri aufero, quo finem conſequar rerum ſcil. mearum conſervationem. Nam alterius vitam conſervari juſtum eſt, meam ergo vitam profundendam, ut juſtum illud obtineatur, æque ex eodem principio colligere liceret. Sed uti ſupra diximus, juſtum non eſt alterum in tali caſu occidere, licet veniam con-

conſequatur, qui amore vitæ conſervandæ tale quid perpetravit.

§ 4. Ex juſto particulari id excuſari nequit; ſed ſolummodo in univerſali habet locum, quando vitioſa tollere conantes aliquando id facere tenemur, quod juſtum ex juſtitia particulari non eſt. Quemadmodum hortulanus zizania ejiciens, una evellit quandoque optimas herbas, id quod etiam Authorem ſenſiſſe, ex textu colligi poteſt.

§. 5. *In primo genere*] Qui hoſti ſubminiſtrat militaria inſtrumenta, ut principium quodammodo ad actionem hoſtilem concurrit. Quapropter & de actione hoſtili tenetur.

§. 6. Modus agendi in bello ex noſtra belli definitione quam optime deduci poteſt. Nam definivimus illud ſtatum diſſolutæ ſocietatis humanæ vel in totum, quando delendos decrevimus hoſtes, cum quibus bellum gerimus, vel quoad certum finem obtinendum, ut adeo gradus certi exinde oriantur. Ut enim bellum juſtum ſit, neceſſe eſt, eatenus tantum diſſolvi ſocietatem humanam, quatenus ab hoſte prius diſſoluta eſt, ut vis ulterius ſe non extendat, quam proportio in retributiva juſtitia admittit. Uti ergo ſocietas hominum liberorum prohibet commutationes invitas, ita diſſoluta ſocietate humana eas admittī concedendum eſt: Commutationes autem in-

 vitæ

vitæ aliæ clandeſtinæ ſunt, aliæ violentæ: clandeſtinæ ab Ariſtotele hæ enumerantur; furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſervi alieni deceptio aut corruptio, δολοφωνία id eſt cædes dolo commiſſa, falſum teſtimonium; Violentæ hæ ab eodem enarrantur, verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia. Ex his commutationibus in bello plerumque conceſſæ ſunt violentæ. Quando quærit Author an & dolo uti liceat, videtur de clandeſtinis commutationibus loqui velle & potiſſimum de falſo. Hîc autem generaliter poſſet dici, quouſque in commutationibus invitis progrediendum ſit, ex fine belli, repenſatione nimirum damni, gradu vindictæ vel etiam pœnæ qua vitio occurrimus, æſtimari debere; adeo ut non ad clandeſtinas commutationes aut non omnes ſtatim ſit accedendum; quales ſunt adulteria, ſervi corruptio, lenocinia &c. Licere autem & quandoque conſiliis uti, quæ alias in clandeſtinis commutationibus adhibemus, Author aliquot exemplis confirmat. unde & dolus bonus vocari ſolet conſilium de clandeſtinâ læſione in hoſtem.

Quæſtionis hujus definitio] putat author quæſtionem hanc, an in bello dolo agere liceat, decidi poſſe, ſi inquiratur an dolus in genere ſit ſemper malorum, an ex iis, quæ vitium non habent univerſaliter. Uidetur æque

què procedere, ac ſi quæſtionem hanc tractans an juſtum ſit in bello occidere, inveſtigare velit prius, an homicidia in genere ſint ſemper mala, an verò in numero eorum, quæ vitium non habent univerſaliter.

§. 7. Diſtinguit Author inter dolum in actu negativo & poſitivo, quæ uti & ſeqq. examinare ſupervacaneum eſt. Diximus enim antea ad diſſolutam ſocietatem humanam, in bello conceſſa eſſe, quæ aliàs injuſta ſunt id eſt contraria conſervantibus eandem. Sunt autem non injuſta ex hypotheſi. Hoc præterea & extra ſtatum belli accidit, commutationes invitas injuſtas non eſſe. Nam v. g. Magiſtratus non pro raptore haberi poteſt, qui puniens improbum per vim & manu militari aliquid aufert, ſententiam ſuam exequendo. Cæterum falſum gignitur, ſi phantaſia alterius per nos diverſum quid concipit à re ipſâ: eam autem alteri vel verbis conceptus ſignificantibus vel aliis factis imprimere poſſumus; quia ex factis quoque animus & voluntas alicujus colligitur. Quòd ſi illum conceptum à me impreſſum quatenus talem ſequuntur incommoda ratione honorum, divitiarum aut cujuſcumque boni externi, per mendacium & dolum malum injuria alteri facta eſt.

§. 8. *Alia igitur hic adhibenda*] Non multum conferre poteſt diſtinctio inter voces, fere ea quæ ad ſignificandum reperta

ſunt; & inter res alias. Quocunque enim modo ſciens alteri imprimas phantaſiam, ex quâ damnum patiatur, injuriam illi facies.

§. 10. *Cui conſequens*] Nihil intereſt, an per amphibolias tentes imprimere alios conceptus: ſi enim illum conceptum ſecutura eſſe incommoda circa bonum aliquod externum noſti, & in eum finem ejuſmodi oratione utaris injuſtè facies.

§. 12. Tradit mendacium committi non poſſe in infantem aut dementem, quòd iis non ſit judicji libertas. At etiam infantibus injuria fieri poteſt per falſum, ſi aliquid incommodi iis exinde oriatur v. g. ſi infanti de itinere domum ducenti interroganti reſponderem falſum, ut per hoc majori involveretur errori: ſanè injuria per falſum illi inferretur. At culpa mendacii propterea non facilè incidit in eum, qui falſum infantibus vel amentibus refert, quia cùm conceptibus ſalutaribus planè deſtituantur, non poteſt prudentia ſeu judicium de utilibus & ſalutaribus conjungi, ut damna in bonis externis inde oriantur.

§. 23. Ratio hîc potius eſt, quia falſo illo decipitur tertius præter ſcientiam & intentionem mentientis. Si tamen eâ intentione, ut tertius decipiatur, quis falſum dicat, æquè mendacium committit, ac ſi ipſi narraret.

§. 15. Uti

§. 15. Uti vim licet exercere jus dicenti circa contumaces, ita quoque in malos clandeſtinè aliquid facere conceſſum eſt, quo vitia exſtirpando felicitatem Reſp. conſequatur. Quare iterum hîc ad noſtra fundamenta recurritur.

§. 17. Non dubium eſt in bello etiam clandeſtinas commutationes conceſſas eſſe propter diſſolutam ſocietatem humanam. Juſtè autem fieri patet, quia ob injuſtum prius illatum retribuuntur. Neceſſe eſt enim, quò bellum juſtum ſit, præcedere cauſam ſufficientem ad hoc, ut ſocietas humana diſolvi poſſit, donec aut vindicata ſit injuria, aut vitium ſit punitum.

§. 21. Licet quæ cum juſto particulari pugnant læduntq; hoſtes conceſſa ſint: nihilominus ad vitioſas actiones perſuadere alios non poſſumus; neque enim homines impellere ad vitia juſtum unquam eſſe poteſt.

§. 22. Vitioſis hominibus uti poſſumus ad exercendas actiones ſuas vitioſas in hoſtes; nihil enim hac in re peccamus; aliter ac quando probum hominem ad vitioſam actionem ſuſcipiendam allicimus.

Cap. II.

C*Um & fidejuſſores*] Habent fidejuſſores regreſſum adverſus ſuos principales, nec ſine cauſa obligantur, quia pro amico intercedunt: & hoc pro ſuâ promiſſione conſequentur, ut amico ſuccurratur.

Cap. III.

Ivstvm aliquando dici bellum quoad peculiares juris effectus monet hic Author. Videntur autem magis perſpicuè hæc ita proponi, ſi dicamus, ad hoc ut bellum juſtum ſit, non ſufficere juſtam cauſam, ſed neceſſarium quoque eſſe, ut juſto proceſſu juſtitiam cauſæ perſequamur. Nam uti in civitatibus legitimus requiritur proceſſus ad id quod juſtum eſt obtinendum; ita quoque inter diverſos populos qui judiciis deſtituuntur & loco eorum bellis jus ſuum perſequuntur obſervari proceſſus juſtus debet ad imitationem eorum, quæ in judiciis fiunt. Sunt enim bella, quod ſuprà notavimus, loco judiciorum inter populos diverſos.

Quale

Quale autem ſit hoc bellum] Non videntur rectè huc trahi JCtorum definitiones; loquuntur enim tantummodo de juſto bello, quatenus mutua ex eo in captivos competit ſervitus. At ſunt & aliæ belli ſpecies, quæ ſuos quoque habent effectus, quibus belli nomen malè denegatur. Quale eſt illud, quod in feros barbaroſque competit homines ſubjugandos, illoſque effectus habet, ut dominium in eos acquiratur; at non contrà ſi nos capiamur, ut iiſdem ſerviamus. Niſi fortaſſe dicas, hoc bellum non eſſe ſtatum diſſolutæ ſocietatis, ſed denegatæ: neque enim in ſocietatem liberorum hominum recipi poſſunt, qui liberi non ſunt. Eſt & ubi civitas aliqua commiſit ſummum aliquod flagitium, & ut vitioſa quædam pars ſocietas univerſalis penitus tollenda eſt; certè JCtorum definitio iis applicari nequit. v. g. ſi civitas in latrociniis felicitatem quærat, pœnitus deleri poteſt, nec proceſſus in tali bello idem obſervandus eſt, qualis ſi quid ex contractu debeatur, in bello abhibetur.

§. 2. *Nam his criminis*] Aliquando civitas talem ſibi conſtituere finem poteſt, ut ex rapto vivat, ſitque in rei veritate latronum aut piratarum cætus, nec civitatis nomen retinere poteſt, niſi æquivoce. Et quid eſt juris fruendi cauſa ſociari? certe & latrones jus quoddam habent; ſed cum finis ſit in rei veri-

tate malum quiddam, civitatem non conſtituunt. Ut ergò civitas ſit, neceſſe eſt aut totam beatitudinem quæ ex virtute eſt, aut partem ejus pro fine eſſe.

Quare crude] Quamdiu pars quædam veræ felicitatis ſupereſt, quam pro fine habent, tamdiu civitas adhuc manet; ſublato hoc, & quando latrocinari vel furari unicè pro fine habetur, civitas eſſe deſinit.

Neque magis] Omninò neceſſaria eſt indictio in rei noſtræ vindicatione, ut attendamus an poſſeſſor ultrò reſtituere velit, quod noſtrum eſt, ne ſtatim ſine cauſa ad diſſolutionem ſocietatis confugiamus.

Verum etiam] Quando ob vitium punire populum volumus, aut noſtra defendere contra offendentem, interdum indictione opus non eſt, ſi ſpes emendandi aut deſiſtendi nulla ſit.

Et ita in quibuſdam jus exigit, ut indictio fiat, in quibuſdam non: nec quicquam hîc à jure gentium proficiſcitur.

§. 7. Omnis denunciatio conditionata eſſe videtur: nulla enim aliàs ratio ſubeſt denunciandi, quàm ut illi, à quibus exigendi nobis competit poteſtas, alliciantur ad ultrò præſtandum, quod præſtare tenentur, poſſeſſionem dominis aut creditoribus debitum ex obligatione vel contractu vel ex maleficio vel quaſi (quando ſcil. pars civitatis cujuſdam

quid

quid commiſit ob hoc punienda) aut ſi injuriam propulſare volumus, vel vitium punire & ſpes emendandi ſubeſt, ſit ſub conditione denunciatio, niſi deſtiterint à bello, vel vitium ipſi emendàrint; adde, quæ Author *ſeq. cap. §.* 1. ex Servio citat *verb. & nolentibus res captas &c.* Si ſpe emendandi omni ſublata delendus ſit populus, denunciatione opus non eſt.

§. 11. Non ea videtur eſſe cauſa, quam Author aſſignat, ſed potius hæc; quò alliciantur ad perficiendum quod debent, aut ad pœnitentiam & emendationem, antequam diſſolvamus humanam cum iis ſocietatem & ipſi exequamur.

Nam inde nati] Illi peculiares effectus, non ex indictione oriuntur, quæ jure gentium introducta eſt, ſed ex ipsâ circumſtantiarum conſideratione, quæ hîc occurrunt & faciunt, ut indictio quoque locum quandoque habeat.

Cap. IV.

§. 2. I*Nterdum enim.*] Huc quam optime referri poteſt pœna vindicativa, quæ injuſta non eſt interim ob caritatem mu-

tuam, quæ in Chriſtiano requiritur, minus eſt laudabilis.

§. 3. Ratio quare poſt indictum bellum, licet nulla juſta cauſa ſubſit, conceſſa ſint ab utrâque parte, quæ alias non diſſoluta ſocietate ſine injuſtitia alteri in alterum non competerent, hæc eſt: quemadmodum enim per litis conteſtationem fit quaſi contractus, ex quo quicquid in judicio deciſum eſt, poſtea debetur: Ita quoque, quando bellum ineunt inter ſe populi, quod ob defectum judiciorum & univerſalis ſocietatis facere tenentur, per indictionem quaſi contrahunt, ut diſſoluta ſocietate alteri in alterum facultas lædendi conceſſa ſit, quicquid ita quælibet pars conſequitur, quaſi per ſententiam Judicis & ex judicato habet. Ubi tamen notandum videtur: quemadmodum calumniantes, qui ſine causâ alteri negotium in judicio faceſſunt, puniri ſolent, ita quoque apud alios populos in odio eſſe eum, qui præter neceſſitatem & ſine juſta cauſa bello alterum impetit; puniri quoque ob vitium recte eundem poſſe.

§. 4. Rationem præcedenti §. reddidi: neque enim hæc cauſa Authoris ſufficere videtur, & ex iis, quæ *d.* §. præmiſi, quod nimirum bellum non ex eo ſuſcipiatur, quia ſcimus juſtam cauſam nos habere, ſed potius quia opinamur, ſatis apparet; difficile

eſſe

eſſe cognoſcere, an juſtè, an injuſtè quis alterum ad bellum provocarit: quia & calumniatores in judiciis plerumque latent; cum ad litem alteri juſte movendam non requiratur juſta cauſa, ſed opinio tantum de cauſæ juſtitia. Quare & juramentum calumniæ hoc modo præſtare ſolent, quod de juſtitia cauſæ bonam opinionem habeant. Non ergo ſufficit hoc ad bellum contra populum ſuſcipiendum, ſi ſcimus eum deſtitui juſtâ causâ, ſed præterea & hoc compertum eſſe oportet, nec opinionem illum de juſtâ causâ habuiſſe, adeoque ex merâ malitiâ bellum ſuſcepiſſe. Et hæc ita ſe habere patet, quia ſuprà poſitum eſt, bellum eſſe loco judiciorum; ob defectum ſocietatis univerſalis: quare, ſi quid juſti in bello eſt, id ex ſimilitudine erit judiciorum.

In territorio autem pacato] ceſſat hîc bellum, quia per magiſtratum executio fieri poteſt.

§. 9. Infantium & fæminarum cædes velut partium civitatis locum habet: totum enim ſi peccavit in partibus punitur. At non licet temerè ad hoc progredi: ſed quemadmodum gradus ſunt bellorum, pro ratione finis, quem intendimus; ita quoque interdum jus naturæ prohibet, ſi alio modo conſequi finem liceat, ita ſævire. præterea non poſſum videre, quomodo Author *infra cap.* 10. §. 1. dicat,

dicat, ſe hactenus nihil largitum eſſe militantibus dum hæc poſuit, cum tamen ſcripturam teſtem hic pro juſtitiâ occidendi infantes adducat, nec quicquam *infra cap.* 11. *§.* 9. reſpondeat ad dictum ſcripturæ ex *pſalm.* 136. *hic citatum.*

§. 10. Poteſtas captivos occidendi videtur ex jure antiquo deſcendere, quando ſervos temerè ut jumenta occidebant. At cum homines ſint; & quatenus tales jura quædam inter eos & dominos intercedant, non videtur juſtum eſſe, ut quibus ſemel ſervare vitam promiſimus, quoſque ut homines tractare tenemur, inſtar jumentorum mactemus. Quamvis fieri poſſit, ut Reipubl. interſit eos poſtea occidi.

§. 12. Deditos interficere ratione criminum licet, ſi quid commiſerint, morte puniendum in exemplum aliis. *adde quæ infrà dicentur cap.* 11. *§.* 14. *& ſeqq.*

§. 13. Non benè videtur Author omnia hæc indictioni belli ſimpliciter aſſcribere, quæ hiſtorici quoque ad alias juſtificas cauſas referunt. Nec enim delinquentes tantum, ſed & contumaces ipſorum defenſores pœnam merentur: quemadmodum non modo fures, ſed & receptores cum iis pœnâ pari afficiuntur.

Pertinax vero ſtudium] Sæpe veniam merentur qui ex ignorantiâ commiſſi ab impe-

ranti-

rantibus & amore erga Magiſtratum vel etiam perſuaſione moti pertinaciter ſe defendunt.

§. 15. Diximus ſupra ob diſſolutam ſocietatem conceſſas eſſe in bello commutationes invitas, potiſſimum verò violentas, nec facilè ad clandeſtinas progredi licere, niſi è numero viventium tollendum populum conſtet, quò ſalva ſit ſocietas humana. Tunc enim ſi populo pereundum eſt, nihil intererit, quo pacto pereat. At ſi de injuſto corrigendo lis eſt, & fortunæ virtutique res dubia committitur, vi potius procedendum, aut dolis virtutem aliquam, prudentiam nimirum naturalem arguentibus; à vitioſis actionibus autem abſtinendum eſt. Hinc ſedulo cavendum, ne in eas incidamus commutationes invitas, quæ ſine vitio vix exerceri poſſunt, quales ſunt ſtupra, adulteria &c: vix enim fieri poteſt, ut in hoc ſolum, quo ægre fiat hoſti, ſine intemperantia ejuſmodi commutationes invitæ perficiantur. Hinc Plutarch. in Camill. *Neque enim ita eſt ad victoriam incumbendum, quin ſceleſtè & impiè factorum nomen declinas.* Et Alexander M. teſte Plutarcho *in Alex.* & Gell. *l. 6. c. 8.* devicti hoſtis uxorem vetuit in conſpectum ſui deduci.

§. 16. Adverſus potentiores his remediis ſe tueri non puto prohiberi poſſe, præſertim cum in vita conſervanda nullum liceat aliàs

vetitum;

vetitum; & venia in quam plurimis detur propter affectum vivendi.

§. 17. Ratio reddi poteſt, quia plus prudentiæ in his cernitur,

Circa percuſſores ratio eſt, quod virtute utantur, à quibus differunt venena præparantes, quia ſine virtute faciunt; non quemadmodum Author putat, *verb. cauſa cur hic*, quia præcavere voluerint gentes, ne nimium intenderentur pericula iis qui præſunt.

§. 19. Circa ſtupra & adulteria quæſtio reſolvitur ex hoc fundamento, quòd in modum cæterarum commutationum quarundam clandeſtinarum, præter hoc, quòd extra virtutem ſint, imò planè cum vitio intemperantiæ conjuncta, etiam ad obtinendum belli finem nihil penè faciant.

CAP. V.

PRIVARE poſſeſſis rebus è numero eorum eſt, quibus ſolent uti magiſtratus ad obtinendum jus per executionem in civitate, adeò ut nullum dubium ſit, quin in bello multò magis hoc, quàm ademptio vitæ conceſſum ſit.

§. 2. Res ſacræ aut Deo vero conſecratæ ſunt, aut falſo alicui Numini: ſi vero Deo,

quid

quid ſacrum ſit, aut ſcimus eum verum Deum & hoc ei ſacrum eſſe, & manifeſtum eſt, ingens nos peccatum committere, aut vero alterutrum ignoramus; ſi poſterius tantum, propter ignorantiam excuſari poſſumus; ſi prius tantum, non excuſamur, quia verum Deum ſcire tenemur. Quod ſi falſo Numini quid dicatum ſit, quod verum quis eſſe opinatur, ex mente Authoris rectè dicimus eum peccare. Cæterum ſi falſum ſcimus, vituperari non poſſumus.

§. 4. *Nimirum ad minora*] Hæc vera ratio non eſt, ſed ea quam ſupra aſſignavi, nim. ob diſſolutam ſocietatem hominum conceſſa eſſe; quæ alias ſtante eâ injuſta ſunt: non tamen licere propterea temerè progredi ad eas invitas commutationes, quæ ſine vitio committi nequeunt.

CAP. VI.

ITerum hic videtur recurrendum ad ea; quæ in judiciis fieri ſolent. Nam ex defectu judiciorum bella oriuntur: eouſque ergò juſtum procedit, quatenus id bello fit, quod per judicia fieret. Aut ergo debitum ex contractu exigitur, aut ex maleficio ad pœnam vindicativam vel emendativam agitur.

Quæ

Quæ his titulis auferuntur juſte poſſidentur. iiſdem accedit quod in executionem impenditur.

§. 2. Diximus in præcedentibus, hæc fieri exinde quod quemadmodum animus calumniandi in judiciis latet, ita quoque obvium non ſit, quo animo quiſque bellum ſuſcipiat. Adeoque licebit impune quælibet bello publico & ſolemniter denunciato auferre ſub ſpecie juſta vindictæ & executionis.

§. 8. & 9. Argumentum ab occupatione eorum quæ nullius ſunt ad bello capta nullum eſſe videtur; quia ea, quæ nullius ſunt non ſtatim quorumvis capientium fieri, ſed jure naturæ ſub Reipl. diſtributionem cadere, ſuprà demonſtratum eſt, licet capientes non locarint ſuperioribus operam. Quamvis ergò ponamus cives omnes volentes & ex propriâ virtute pugnare nulli operam locare; dividenda tamen eſt præda, ſecundum proportionem jure naturæ, ne æquales inæqualia conſequantur.

§. 10. Diſtinctionem hanc nullam eſſe ex ſuperioribus patet, quia quicquid acquiritur, ſecundum juſtitiam diſtributivam aſſignari ſingulis debet, nec committenda eſt hominibus arbitraria acquiſitio.

§. 11. & ſeqq. Sunt iſta ex mera bellantium conſuetudine.

§. 25 Quę

§. 25. Quæ fuſè hactenus Author tradidit, nunc ad uſum conatur transferre, ſtatuens ex præmiſſis hoc patere; prædam primò ſecundum leges diſtribuendam, aut, ſi nullæ exſtent, dandam populo, ſi modò ea res in actu bellico capta ſit. At licèt in Romanâ Republ. cùm populus bella juberet, id ipſum ita obſervatum fuerit; in omni tamen formâ id non procedit: eſt enim ubi nobiles, aut etiam unus tantum omnem prædam conſequitur & militibus, aut etiam civibus, quos comites in acie habuit, pro ſuo arbitrio portiones certas aſſignat.

Si quod tamen] Non videmur jure naturæ plus juris in rebus illis acquirere, quàm hoſtis ipſe habuit: unde res non noſtras facimus, ſed jura tantummodo, quæ hoſtis habuit, conſequimur.

CAP. VII.

DESTRUIT Author omnia fundamenta politica circa ſervitutem, dum negat ſine facto hominis ſervitutem aliquam dari poſſe: ſervos enim à naturâ eſſe, eoſque jure naturæ ſubiici aliorum dominio, eleganter demonſtrat Ariſt: *l. 1. politic. c.* 5. demonſtratio talis eſt:

Quos

Quos homines natura ita produxit, ut ad alios ſe habeant, quemadmodum appetitus & corpus ad animam rationalem, illis ſalutare eſt aliis ſubjectos eſſe, & regi ab iiſdem, non aliter ac corpus ab animâ, & appetitus à ratione.

At quoſdam à natura ita productos eſſe, teſtatur experientia. E.

Majorem quo pacto Ariſt. confirmet, vide in citato textu: hujus enim loci non eſt iſta fuſius perſequi. Quamvis ergo ſervitus præter naturam ſit, cum natura intendat cuilibet ſuam rationem addere, qua regatur: ſi tamen præter intentionem naturæ reperiatur quis uſu rationis deſtitutus, naturæ jus exigit, ut ſerviat.

At eo de quo nunc] Lex eſt gentium, captivos ſervire, de qua vid. *Ariſt. l.* 1. *polit. c.* 6.

§. 13. Servus eſt inſtrumentum & pars ſui domini, & propterea poteſt dominus id in eum ſtatuere, quod alias circa res ſuas: quia tamen eidem accidit hominem eſſe: neceſſe eſt, & quiddam juris ei naturaliter competere, ut à domino non quævis ferre teneatur, quæ ſcil. naturæ humanæ repugnant. Hac de cauſa non licet domino ſervum ſuum temerè occidere. Adeoque abuſus eſt herilis poteſtatis & contra jus naturæ, quando heri ſibi poteſtatem necis arrogant.

Ipſe

Ipſe ſervus] Eſt enim ſervus inſtrumentum & pars domini, quod autem ab inſtrumento & parte noſtra producitur, noſtrum eſt.

§. 5. Cauſa hæc quam Author enarrat ſubeſſe quidem videtur, quare gentibus lex illa de captivis in ſervitutem redigendis placuerit. At origo videtur promanare à bello illo naturali, quod Ariſt. venationem hominum vocat *l.* 1. *polit. c.* 8. & exercebatur olim in barbaros & feros homines extra civitatem viventes, ad eoſdem capiendos & in manſuetudinem redigendos. A quo poſtea in omnia bella tranſlatum videtur.

§. 6. Diſtinguendum exiſtimo inter ſervos naturales & legitimos: hi enim ut liberi homines fugam ſeu medium ad libertatem, cui nati ſunt, accipere poſſunt; illi vero de libertate contra jus naturæ cogitant, nec de juſtitiâ belli judicare poſſunt. unde victori eos parere, donec liberentur ab aliis, tenentur.

§. 7. Niſi diſtinctio adhibeatur, cujus *præced.* §. mentionem fecimus, non videtur, quod cum theologis Autor ſtatuit locũ habere poſſe: quidni enim liceret libero homini injuſtè ſervienti ſe in libertatem vindicare, eique qui libertatem impedit, quovis modo reſiſtere? niſi reſpicias pactum initum cum victore, dum caperetur; cui tamen turpitudo objici poteſt.

§. 9. Quem-

§. 9. Quemadmodum bellum, quod venatio Authori appellatur, propter manſuetudinem, ad quam hodie plerçque gentes perductæ ſunt, ceſſat: ita quoque effectus ille, qui in reliquis bellis poſtea duravit, tandem aboleri cœpit propter depoſitam pene omnem feritatem.

CAP. VIII.

HIc Author agnoſcit diſtinctionem imperii civilis & herilis, quam hinc inde neglexit. Non autem naturaliter conceſſum eſt, quoſvis populos devictos in ſervitutem redigere: qui enim liberali ingenio ſunt contra naturam ſubjiciuntur, nec poteſt imperium illud conſiſtere.

CAP. IX.

§. 4. *VErior hac eſt ratio*] Rationem veram in ſuperioribus tradidimus: eſt enim belli indictio quaſi contractus, qui efficit, ut quicquid alter alteri abſtulerit, id juſte poſſideat, non aliter ac litis conteſtatio faciens aliquid ex re judicata deberi. Nam bella judicia imitantur,

quia

quia ob defectum judiciorum introducta ſunt.

§. 8. Durante bello ab utraque parte æqualis facultas eſt hoſti auferendi, quæ poſſidet. E. & quis ſeipſum ſubtrahere poterit. Huic vero facultati deditione renunciatū eſt.

§. 9. *At ſi ipſa multitudo*] Tradit Author in populo diſperſo poſtliminium non habere locum; factâ enim diſſolutione partium deſiiſſe eſſe civitatem. At loci conjunctio non videtur civitatem conſtituere. Quin nec major videtur in Authoris argumento procedere: illud quod eſſe deſinit per poſtliminium denuò reconvaleſcere non poſſe. idem enim de libertate dici poſſet: liber enim homo captivitate deſinit eſſe liber; uti ergo cui libertas adempta eſt ab hoſte, eam ſibi recuperare poteſt: ita & multitudo hominum, cui hoſtis per diſperſionem civitatem detraxit, in priſtinam redire civitatem poteſt. Quamvis non diffitear, in iis ſocietatibus quæ conſenſu conſtant in ſingularum partium arbitrio eſſe ad priſtinam ſocietatem redire vel non. Et hæc cauſa eſt, quare matrimonium Romani novo conſenſu reiterari voluerint.

§. 12. Si populus natura liber ſit & propterea contra naturam ſerviat, non recidit in prioris poteſtatem, ſi à poſteriori tyranno ſe exemerit.

CAP.

Cap. X.

Exiguum juris habent bella, quod tantum ex hypotheſi juſta ſint, & ex imperfectione ſocietatis univerſalis: qua de cauſa ſi ad jus naturæ perfectum progredi velis, innumera invenies corrigenda; nec quicquam erit juſtum in bello, quo non juſtius aliquid reperire poſſis.

§. 3. Ut bellum juſtum ſit, ſufficit bona opinio de juſtitia cauſæ & præſertim in ſubditis, qui poteſtatem deliberandi de bello non habent.

Cap. XI.

Odioſa res bellum eſt, & deficientibus judiciis ex accidenti quid juſti continet; adeoque multas & innumeras limitationes recipiunt, quæ in eo geruntur, præſertim ſi conſcientiam noſtram conſulamus.

§. 2. Diximus ſupra, ut quis licitum gerat bellum, ſufficere in eo, quod prætendat opinionem de juſtitiâ cauſæ, licet fortaſſe conſcientia contrarium dictitet. quæ ergo

ſint

ſint juſtæ cauſæ, tranquillam nobis relinquentes conſcientiam, paulo aliter, quàm Author proponit ex ſuperius à nobis notatis cognoſci poſſunt. Pœnam enim aliam emendandi homines & tollendorum vitiorum gratia aliam ob vindictam & æqualitatem eſſe diximus. Et quidem quæ ob vindictam eſt, Chriſtianum non decere ſuprà quoque oſtendimus: prævalet enim caritas licet juſta ſit pœna. Affectus vivendi aut quæ ſua ſunt retinendi ab homicidiis conſcientiam non liberat ſemper, quamvis pœnam mitiget aut veniam pariat. Reſtat ergo talem pœnam juſtam eſſe, quæ vitiorum tollendorum gratia eſt, qüo ſalva ſit tota ſocietas humana. Quia vero populi in ſocietatem univerſalem non coierunt, nec fortaſſe ob malitiam hominum unquam coibunt, quilibet ipſe populus ſibi hac in re proſpicere tenetur, ut vitia vicinorum à quibus malum ſibi metuit corrigat, quo ſecurè vivere poſſit. Quouſque autem progredi poſſimus in infligendis pœnis Author ita determinat: inſpiciendum eſſe dicit, quid judex æquus dictitet. At in omnibus Rebuſpubl. pœnæ non ſunt æquales prout ſtatus diverſus eſt; finis enim pœnarum iſtarum ſalus & felicitas Reipl. eſt. Hinc apud quaſdam gentes furta nobis capitalia non puniuntur.

Fortaſſe ergo rectius dicimus, ponendam ob oculos eſſe felicitatem Reipl. noſtræ & eouſque procedendum, donec appareat vitiis aliorum noceri ulterius nobis non poſſe.

§. 4. Elegantiſſimum textum ex Ariſt: Author citat, qui cum fundamentum ſit omnis ſanioris judicii, quod circa actiones humanas inſtituimus; ejus explicationem quandam adiiciemus: neceſſe autem eſt omne quod pœnam aut præmium meretur ab eo qui puniendus, vel præmio afficiendus eſt profectum eſſe, ita ut principium ſit in ipſo per ſe & non ex accidenti. Quod vero homini quatenus tali in eſt ita comparatum eſſe debet, ut in eo ratio humana locum habere poſſit: quod enim ſub rationem non cadit, id nec ab homine qua tali proficiſcitur, ſed potius ab eo, cui accidit eſſe hominem. Nam in eo quod ratione aſſequi homo nequit, quaſi lapis aut truncus eſt. Ex his patet. I. quod ex conſilio faciens perfecte pro faciente habeatur, nec quicquam veniæ mereri poſſit. Nam principium in eo eſt, ut homine. 2. Quod ex ignorantia quid faciens, quam nullus hominum evitare poteſt, pro non faciente habeatur, nec puniri queat. Nam principium in ipſo qua homine non eſt, cum rationi locus non detur, lapidique de tecto decidenti & hominem interficienti ſimilis

ſit.

ſit. Quod enim per rationem dijudicari nequit, id nec ab homine qua tali perficitur. Evenit hoc potiſſimum in cognitione circumſtantiarum, *circa quid ex cujus gratia*, quas ſapientiſſimo cuique accidit ignorare. 3. Quod per violentiam quis à potentiori, cui reſiſtere nequit, motus ad faciendum; ſi ipſe nihil confert pro non faciente habeatur; quia principium motus in ipſo non eſt, ſed in potentiori. 4. Quòd quando ira correptes, aliquid facit non excedens modum, ſi alius quiſpiam illius affectus cauſa ſit, non puniatur: in altero enim principium eſt motus; hic vero dum in ira verſatur, modum non excedens non peccat. 5. Ignorantiam juris quoſdam excuſare quoſdam non: qui enim ob imbecillitatem ex ſexu vel ætate ratione ſua penetrare non poſſunt, in iis verſantur, in quibus locum ratio ipſorum habere nequit. E. ab iis velut hominibus actio eorum non proficiſcitur; nec principium hujus rei, quod nimirum non ut homines operentur, in ipſis eſt, ſed in natura quæ hoc iis denegavit. In aliis vero nullam excuſationem parit, quibus nimirum natura non denegat ſcientiam, ſed qui ipſi ſuæ ignorantię cauſa ſunt. Nam in iis tunc quod non ut homines operentur, principium eſt. 6. In ſingularium quoque ignorantia non ab omni pœna nos liberari, ſunt enim quædam ſingularia, quæ adhibita prudentia

cognoſci poſſunt; eaque prudentia vel talis eſt, qua nullus, qui ſanæ mentis eſt, deſtituitur; vel quam habent, qui præ reliquis ſapiunt, vel prudentiſſimi. Hinc gradus culpæ oriuntur, nimirum lata, levis, leviſſima, ſecundum quos pœnæ variant.

Hæc, quia dignoſcendis & dijudicandis actionibus inſerviunt, hoc loco repetere & clarius, quam ſupra factum eſt, proponere voluimus.

§. 5. Semper in pœnis infligendis quærimus principium vitioſæ actionis; unde & in quo magis principium eſt, majori pœna afficitur; eſt autem magis principium in autore perſuadente & ducente quam in aſſentiente & ſeducto; quia plus in eo eſt conſilii.

§. 6. Diximus ſupra, quemadmodum ad litem in judicio movendam opinio de bonitate cauſæ ſufficit: Ita & in bello eam ſolummodo attendi. Quare faciles etiam in condonando eſſe debemus, ſi erronea opinione ducti quidam bellum adverſus nos moverint.

§. 7, Salus Reipubl. & imperii ſuprema lex eſt, ex qua quid facto opus ſit, judicandum eſt.

§. 9. Quemadmodum ad virilia omnia officia, ita quoque ad bellum gerendum ineptus plerumque eſt ſexus fœmininus. Eaque de cauſa in fœminis trucidandis non laborant ſtrenui duces; ita Alexand. apud Curtium: *cum fœ-*

minis

minis gerere bellum non ſoleo; armatus ſit oportet quem oderim. Pueri ob defectum conſilii, ut antea oſtendimus, ſæpe pro non committentibus habentur, niſi manifeſto conſtet, quod malitia ætatem ſuppleverit. Cum vero fieri nequeat, ut ſocietatem univerſalem populorum lædere pueri conſulto poſſint, cujus planè ignorantes ſunt; nec ex proprio delicto puniri poſſunt. Solemus tamen ob parentum dilicta pœnas etiam in liberos quandoque extendere; ſi crimina tam enormia ſint, ut pœna in perſonas delinquentes non ſufficiat. Et ſi parcendum pueris ſemper eſt, nec parentes eorum occidi poterunt; his enim occiſis fieri nequit, quin damno liberi afficiantur.

§. 10. Cum fundamentum infligendi pœnam ſit crimen non defenſio adverſus infligentem: Videndum in quibuſnam ſit principium delicti commiſſi, quod ſæpè in clericis & ſtudioſis literarum, quorumque vita longè à bello abeſt, magis eſſe poteſt, ob conſilia & perſuaſiones, quàm in reliquis, qui pugnando operam locant. Pertinet hùc dictum Titi de ſacerdotibus templum Hieroſolymitanum pertinaciſſimè defendentibus: veniæ tempus præteriiſſe, ſacerdotibus unà cum templo eſſe pereundum. Neque enim in eo ſolum principium belli eſt, qui vulnerat; ſed & in eo,

qui conſilium dedit, ſi fortaſſe aliter facturus eſſet lædens, conſilio non accedente.

§. 11. Agricolis in bello parci vel non parci, non ex quâdam juſtitiâ aut injuſtitiâ profluit, ſed pro utilitate quiſque ſuâ & damno hoſtium, arbitrium habet in eos ſtatuendi, quod voluerit. Seu enim pro civibus habeantur, partes ſunt civitatis, ſeu è numero civium removentur, inſtrumenta tamen civitatis ſunt commodo ejusdem inſervientia. *Ariſt : lib. 3. politic. c. 3.*

§. 12. Dixi antea pœnarum inflictionem non æſtimari ab armis, ſed ab auctoribus criminum.

§. 13. De captivis occidendis diximus ad *cap.* 4. *§.* 10. *h. libr.* Author hîc, quæ ibi quodammodo conceſſit, limitat & reſtringit.

§. 14. Alia quæſtio eſt, an qui dedere ſe hoſti volunt, recipiendi ſint, & an eorum, quos in deditionem recepimus, vitæ ſit parcendum. Hæc autem facilè confundi poſſunt, quod ab Authore etiam factum eſſe videntur exempla, quæ hîc adjecit, indicare.

In obſeſſis oppidis] Videtur vix univerſalis regula de dedentibus ſeſe tradi posſe, nec tuto definiri, an acceptanda, an repudian-

pudianda ſit deditio ; Nam deditionum non una natura eſt : alii enim ſe dedunt, cum ſpes defendendi adhuc ſupereſt, alii vero quando præſentem mortem effugere nequeunt : his obſtat contumacia, quo minus temerè in deditionem recipiantur ; illis non item. Augetur præterea bellandi libido, quando dedendo ſe mortem effugere, debitamque pœnam eludere poſſe ſciant hoſtes : è contrario pronos ad recipiendum convenit gradoque imperatores ; & intereſt hoſtes à deditione non deterreri ; ita enim victoriam quandoque ſine ſanguine & ulteriori periculo obtinere licet. Accendit namque deſperatio animos hominum ad graviſſima quandoque facinora nec novum eſt, fugatos & obſeſſos victorem ſuperaſſe obſeſſoremque cepiſſe. Quid ergo ex uſu ſit cuilibet ratione circumſtantiarum videtur liberum eligere. Ita Romàni nimiam multitudinem dedentium juſtam cauſam repudiandi deditionem exiſtimarunt. Tacit. lib. 12. annal. c. 17. de Uſpenſium obſidione : *poſtero die miſere legatos veniam liberis corporibus orantes : ſervitii decem millia offerebant. quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſævum, tantam multitudinem cuſtodia cingere arduum : ut belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui ſcalis evaſerant, ſignum cædis. Excidio Uſ-*

§. 9. Quemadmodum bellum, quod venatio Authori appellatur, propter manſuetudinem, ad quam hodie plerǫque gentes perductæ ſunt, ceſſat: ita quoque effectus ille, qui in reliquis bellis poſtea duravit, tandem aboleri cœpit propter depoſitam pene omnem feritatem.

Cap. VIII.

HIc Author agnoſcit diſtinctionem imperii civilis & herilis, quam hinc inde neglexit. Non autem naturaliter conceſſum eſt, quoſvis populos devictos in ſervitutem redigere: qui enim liberali ingenio ſunt contra naturam ſubjiciuntur, nec poteſt imperium illud conſiſtere.

Cap. IX.

§. 4. *VErior hæc eſt ratio*] Rationem veram in ſuperioribus tradidimus: eſt enim belli indictio quaſi contractus, qui efficit, ut quicquid alter alteri abſtulerit, id juſte poſſideat, non aliter ac litis conteſtatio faciens aliquid ex re judicata deberi. Nam bella judicia imitantur, quia

quia ob defectum judiciorum introducta ſunt.

§. 8. Durante bello ab utraque parte æqualis facultas eſt hoſti auferendi, quæ poſſidet. E. & quis ſeipſum ſubtrahere poterit. Huic vero facultati deditione renunciatū eſt.

§. 9. *At ſi ipſa multitudo*] Tradit Author in populo diſperſo poſtliminium non habere locum; factâ enim diſſolutione partium deſiiſſe eſſe civitatem. At loci conjunctio non videtur civitatem conſtituere. Quin nec major videtur in Authoris argumento procedere: illud quod eſſe deſinit per poſtliminium denuò reconvaleſcere non poſſe. idem enim de libertate dici poſſet: liber enim homo captivitate deſinit eſſe liber; uti ergo cui libertas adempta eſt ab hoſte, eam ſibi recuperare poteſt: ita & multitudo hominum, cui hoſtis per diſperſionem civitatem detraxit, in priſtinam redire civitatem poteſt. Quamvis non diffitear, in iis ſocietatibus quæ conſenſu conſtant in ſingularum partium arbitrio eſſe ad priſtinam ſocietatem redire vel non. Et hæc cauſa eſt, quare matrimonium Romani novo conſenſu reiterari voluerint.

§. 12. Si populus natura liber ſit & propterea contra naturam ſerviat, non recidit in prioris poteſtatem, ſi à poſteriori tyranno ſe exemerit.

CAP.

Cap. X.

EXiguum juris habent bella, quod tantum ex hypotheſi juſta ſint, & ex imperfectione ſocietatis univerſalis: qua de cauſa ſi ad jus naturæ perfectum progredi velis, innumera invenies corrigenda; nec quicquam erit juſtum in bello, quo non juſtius aliquid reperire poſſis.

§. 3. Ut bellum juſtum ſit, ſufficit bona opinio de juſtitia cauſæ & præſertim in ſubditis, qui poteſtatem deliberandi de bello non habent.

Cap. XI.

ODioſa res bellum eſt, & deficientibus judiciis ex accidenti quid juſti continet; adeoque multas & innumeras limitationes recipiunt, quæ in eo geruntur, præſertim ſi conſcientiam noſtram conſulamus.

§. 2. Diximus ſupra, ut quis licitum gerat bellum, ſufficere in eo, quod prætendat opinionem de juſtitiâ cauſæ, licet fortaſſe conſcientia contrarium dictitet. quæ ergo ſint

ſint juſtæ cauſæ, tranquillam nobis relinquentes conſcientiam, paulo aliter, quàm Author proponit ex ſuperius à nobis notatis cognoſci poſſunt. Pœnam enim aliam emendandi homines & tollendorum vitiorum gratia aliam ob vindictam & æqualitatem eſſe diximus. Et quidem quæ ob vindictam eſt, Chriſtianum non decere ſuprà quoque oſtendimus: prævalet enim caritas licet juſta ſit pœna. Affectus vivendi aut quæ ſua ſunt retinendi ab homicidiis conſcientiam non liberat ſemper, quamvis pœnam mitiget aut veniam pariat. Reſtat ergo talem pœnam juſtam eſſe, quæ vitiorum tollendorum gratia eſt, quo ſalva ſit tota ſocietas humana. Quia vero populi in ſocietatem univerſalem non coierunt, nec fortaſſe ob malitiam hominum unquam coibunt, quilibet ipſe populus ſibi hac in re proſpicere tenetur, ut vitia vicinorum à quibus malum ſibi metuit corrigat, quo ſecurè vivere poſſit. Quouſque autem progredi poſſimus in infligendis pœnis Author ita determinat: inſpiciendum eſſe dicit, quid judex æquus dictitet. At in omnibus Rebuſpubl. pœnæ non ſunt æquales prout ſtatus diverſus eſt; finis enim pœnarum iſtarum ſalus & felicitas Reipl. eſt. Hinc apud quaſdam gentes furta nobis capitalia non puniuntur.

Fortaſſe ergo rectius dicimus, ponendam ob oculos eſſe felicitatem Reipl. noſtræ & eouſque procedendum, donec appareat vitiis aliorum noceri ulterius nobis non poſſe.

§. 4. Elegantiſſimum textum ex Ariſt: Author citat, qui cum fundamentum ſit omnis ſanioris judicii, quod circa actiones humanas inſtituimus; ejus explicationem quandam adiiciemus: neceſſe autem eſt omne quod pœnam aut præmium meretur ab eo qui puniendus, vel præmio afficiendus eſt profectum eſſe, ita ut principium ſit in ipſo per ſe & non ex accidenti. Quod vero homini quatenus tali in eſt ita comparatum eſſe debet, ut in eo ratio humana locum habere poſſit: quod enim ſub rationem non cadit, id nec ab homine qua tali proficiſcitur, ſed potius ab eo, cui accidit eſſe hominem. Nam in eo quod ratione aſſequi homo nequit, quaſi lapis aut truncus eſt. Ex his patet. I. quod ex conſilio faciens perfecte pro faciente habeatur, nec quicquam veniæ mereri poſſit. Nam principium in eo eſt, ut homine. 2. Quod ex ignorantia quid faciens, quam nullus hominum evitare poteſt, pro non faciente habeatur, nec puniri queat. Nam principium in ipſo qua homine non eſt, cum rationi locus non detur, lapidique de tecto decidenti & hominem interficienti ſimilis ſit.

ſit. Quod enim per rationem dijudicari nequit, id nec ab homine qua tali perficitur. Evenit hoc potiſſimum in cognitione circumſtantiarum, *circa quid ex cujus gratia*, quas ſapientiſſimo cuique accidit ignorare. 3. Quod per violentiam quis à potentiori, cui reſiſtere nequit, motus ad faciendum; ſi ipſe nihil confert pro non faciente habeatur; quia principium motus in ipſo non eſt, ſed in potentiori. 4. Quòd quando ira correptes, aliquid facit non excedens modum, ſi alius quiſpiam illius affectus cauſa ſit, non puniatur: in altero enim principium eſt motus; hic vero dum in ira verſatur, modum non excedens non peccat. 5. Ignorantiam juris quoſdam excuſare quoſdam non: qui enim ob imbecillitatem ex ſexu vel ætate ratione ſua penetrare non poſſunt, in iis verſantur, in quibus locum ratio ipſorum habere nequit. E. ab iis velut hominibus actio eorum non proficiſcitur; nec principium hujus rei, quod nimirum non ut homines operentur, in ipſis eſt, ſed in natura quæ hoc iis denegavit. In aliis vero nullam excuſationem parit, quibus nimirum natura non denegat ſcientiam, ſed qui ipſi ſuæ ignorantię cauſa ſunt. Nam in iis tunc quod non ut homines operentur, principium eſt. 6. In ſingularium quoque ignorantia non ab omni pœna nos liberari, ſunt enim quædam ſingularia, quæ adhibita prudentia

cognoſci poſſunt; eaque prudentia vel talis eſt, qua nullus, qui ſanæ mentis eſt, deſtituitur; vel quam habent, qui præ reliquis ſapiunt, vel prudentiſſimi. Hinc gradus culpæ oriuntur, nimirum lata, levis, leviſſima, ſecundum quos pœnæ variant.

Hæc, quia dignoſcendis & dijudicandis actionibus inſerviunt, hoc loco repetere & clarius, quam ſupra factum eſt, proponere voluimus.

§. 5. Semper in pœnis infligendis quærimus principium vitioſæ actionis; unde & in quo magis principium eſt, majori pœna afficitur; eſt autem magis principium in autore perſuadente & ducente quam in aſſentiente & ſeducto; quia plus in eo eſt conſilii.

§. 6. Diximus ſupra, quemadmodum ad litem in judicio movendam opinio de bonitate cauſæ ſufficit: Ita & in bello eam ſolummodo attendi. Quare faciles etiam in condonando eſſe debemus, ſi erronea opinione ducti quidam bellum adverſus nos moverint.

§. 7, Salus Reipubl. & imperii ſuprema lex eſt, ex qua quid facto opus ſit, judicandum eſt.

§. 9. Quemadmodum ad virilia omnia officia, ita quoque ad bellum gerendum ineptus plerumque eſt ſexus fœmininus. Eaque de cauſa in fœminis trucidandis non laborant ſtrenui duces; ita Alexand. apud Curtium: *cum fœ-*

minis

minis gerere bellum non ſoleo; armatus ſit oportet quem oderim. Pueri ob defectum conſilii, ut antea oſtendimus, ſæpe pro non committentibus habentur, niſi manifeſto conſtet, quod malitia ætatem ſuppleverit. Cum vero fieri nequeat, ut ſocietatem univerſalem populorum lædere pueri conſulto poſſint, cujus planè ignorantes ſunt; nec ex proprio delicto puniri poſſunt. Solemus tamen ob parentum delicta pœnas etiam in liberos quandoque extendere; ſi crimina tam enormia ſint, ut pœna in perſonas delinquentes non ſufficiat. Et ſi parcendum pueris ſemper eſt, nec parentes eorum occidi poterunt; his enim occiſis fieri nequit, quin damno liberi afficiantur.

§. 10. Cum fundamentum infligendi pœnam ſit crimen non defenſio adverſus infligentem: Videndum in quibuſnam ſit principium delicti commiſſi, quod ſæpè in clericis & ſtudioſis literarum, quorumque vita longè à bello abeſt, magis eſſe poteſt, ob conſilia & perſuaſiones, quàm in reliquis, qui pugnando operam locant. Pertinet hùc dictum Titi de ſacerdotibus templum Hieroſolymitanum pertinaciſſimè defendentibus: veniæ tempus præteriiſſe, ſacerdotibus unà cum templo eſſe pereundum. Neque enim in eo ſolum principium belli eſt, qui vulnerat; ſed & in eo,

pudianda ſit deditio ; Nam deditionum non una natura eſt : alii enim ſe dedunt, cum ſpes defendendi adhuc ſupereſt , alii vero quando præſentem mortem effugere nequeunt : his obſtat contumacia, quo minus temerè in deditionem recipiantur ; illis non item. Augetur præterea bellandi libido , quando dedendo ſe mortem effugere, debitamque pœnam eludere poſſe ſciant hoſtes : è contrario pronos ad recipiendum convenit gradoque imperatores ; & intereſt hoſtes à deditione non deterreri ; ita enim victoriam quandoque ſine ſanguine & ulteriori periculo obtinere licet. Accendit namque deſperatio animos hominum ad graviſſima quandoque facinora nec novum eſt, fugatos & obſeſſos victorem ſuperaſſe obſeſſoremque cepiſſe. Quid ergo ex uſu ſit cuilibet ratione circumſtantiarum videtur liberum eligere. Ita Romani nimiam multitudinem dedentium juſtam cauſam repudiandi deditionem exiſtimarunt. Tacit. lib. 12. annal. c. 17. de Uſpenſium obſidione : *poſtero die miſere legatos veniam liberis corporibus orantes : ſervitii decem millia offerebant. quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſævum, tantam multitudinem cuſtodia cingere arduum : ut belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui ſcalis evaſerant, ſignum cædis. Excidio Uſ-*

penſum metus cæteris injectus, nihil tutum ratis, cùm arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amneſque & urbes juxta perrumperentur. Quod ergo magis ſalutare eſt, facitque ad finem belli commodique obtinendum, eligendum eſt uti ſæpe monuimus.

§. 15. Non deſunt exempla, quæ occiſos ſupplices teſtantur. Qua in re multum interdum condonandum affectibus: difficile enim eſt iram compeſcere. Ita omnes Scipionis milites, cum fidem Cæſaris implorarent, ipſo Cæſare inſpectante ad unum ſunt interfecti: neque enim ſuos milites ira & dolore incenſos ut parcerent hoſtium vitæ commovere potuit. Pertinent hûc qui ſe dedentes arbitrio victoris committere coguntur, welche ſich auff gnade und ungnade auff diſcretion ergeben. In hos enim ſævire liberum non eſt victori: ſed ut conſulat ſuæ conſcientiæ, arbitrio boni viri utetur. Nam arbitrio alterius ſe committere non parit facultatem quidvis etiam injuſtum perpetrandi.

§. 16. *Adverſus hæc*]. De his in præcedd. diximus.

Si talio exigatur] Dubito annon talio ſufficiens cauſa ſit ſæviendi, quando populi nondum in ſocietatem quandam univerſalem coierunt.

coierunt. Exempla ſunt in *Liv. l.* 7. & 26. *Gell. l.* 6. *c.* 4. pertinet hâc tit. *Quod quiſque Jur. in alter. ſtat.* unde & ipſe Author in ſeqq. jus talionis quodammodo admittit. Quamvis parum ad rem faciat, quod putet non niſi in perſonis injuriam inferentibus locum habere: aut enim puniendi vel demittendi ſunt delinquentes, aut tota tenebitur ſocietas, ſingulæque ejus partes. Fortaſſe ergo & hic temperamento opus eſt, ut pœnam in delinquentes à ſocietate exigamus, antequam ad alias ſocietatis partes progrediamur.

A captivis & deditis] prudentis non eſt inſpicere præſentia, ſed futura, ſi hoſtes dormiunt, nocere nequeunt: Ergone dormientibus parcendum erit?

Ut ergo juſte] Ceſſante periculo, quod imminet nobis, ſi dedititios recipiamus. Nulla cauſa in eos ſæviendi ſupereſt, præter delictum, quod commiſere. Ne autem peccemus de propriis judicantes, ſatius erit judicium committere arbitris & ex ipſorum arbitrio exequi: ita enim ſupplentur defectus & vitantur incommoda, quæ ob neglectum ſocietatis univerſalis oriuntur.

Si immanibus convitiis] Nam de his quandoque ipſi duces ſupplicium depoſcunt: ſic qui Alexandro maledixerat miles à duce ſuo transfixus eſt, his additis verbis: *Ego te pugnare*

gnare contra Alexandrum volui, non ei maledicere. Obſtare autem videtur, quod bellum definitum à nobis ſit diſſolutio ſocietatis humanæ, qua poſita, contumelias in hoſtem libere licebit dicere. Et hinc Papinianus *l. nec in ea. 22. §. ſed qui 3. Ad* L. *Iul. de adult.* Adulterum contumeliis poſſe affici colligit, cum poſſit occidi. Verum Reſponſio fortaſſe in promptu eſt, quod ſcil. jure civili non niſi in vitioſos & infames poteſtas occidendi privatis concedatur: at bella geruntur & inter eos qui nullius delicti ſibi conſcii ſunt. Quod exinde manifeſtum eſt, quia tot ſunt belli cauſæ, quot actionum fontes: & civiles actiones infamiam non pariunt, niſi dolus interveniat. Contumeliis ergo afficere hoſtem non licet; quia pugnare poſſunt nullo vitio contaminati, quando ab utraque parte opinio eſt de juſtitia cauſæ.

§. 17. Multitudo peccantium veniam nunquam tribuit, niſi paucorum interitu malis occurrere nos poſſe appareat. Neque enim præter neceſſitatem ſæviendum, ſed eouſque pœnis procedendum, donec terrorem ſufficiēter omnibus vitioſis hominibus, qui noſtram impediunt felicitatem, incuſſum videamus. Obſides hoſti in ſecuritatem dantur: hoc autem non obtineretur, niſi fide non ſervatâ, is, cui in ſecuritatem dati ſunt, in eos ſævire poſſet. Et quemadmodum pignus alienare licet

licet creditori, non ſervatâ à debitore fide; ita & non immerito jure naturæ licebit in obſides id, quo deterriti adigantur promiſſa ſervare, qui eos in pignus quaſi dederunt.

At poſtquam verior ſapientia] Fundamentum quare ſalva conſcientia obſides occidi nequeant, hoc ſtatuit Author, quod nemo ſuorum membrorum dominus ſit, & propterea obligare ad pœnam corporalem ſe non poſſit. At videtur hoc falſum, propterea, quia pro patria quilibet profundere vitam poteſt; aliàs cives bellando pro patria injuſte periculo mortis ſe obiicerent, nullusque foret occidendus, qui ultro caſtra hoſtium ſecutus bello ſe immiſcuit. Quod vero nemo ex impatientia ſibi manus violentas inferre poſſit, non ex denegato dominio, ſed potius inde; quia nemo ex vitio circa res ſuas quicquam perpetrare poteſt.

Ex virtute quod fit, nemo prohibetur in ſua membra ſtatuere. Habet quilibet inſtrumentorum ſeparatorum dominium; at ſi ex prodigalitate iis abutatur, & per luxuriam ea profundat, aut in detrimentum Reipubl. deſtinet; animadverſioni Magiſtratus ſubiicitur. Pro ratione ergo circumſtantiarum obſides juſte occidi poſſe, ſi alio modo damnum reſarciri nequeat, dubium nullum eſt.

Cap. XII.

Bellantium finis eſt victoria, ut ſuperiores exiſtant alteramque partem per hoc aut cogere ad juſtum præſtandum, aut pœna eandem afficere poſſint. Quicquid ergo ad victoriam facit, omittendum non eſt. Obtinendæ autem victoriæ inſerviunt quæ hoſtium vires debilitant, noſtras confirmant. Hoſtium ergo bona vitamque pro conſequendo fine deſtruere injuſtum non eſt, quando aliter nec victoria potiri, nec pœna vel vindicante vel delicta coercente hoſtes afficere liceat, niſi bellum omne à juſtitia alienum aſſerere velis. Sed modus his ineſſe debet, quem finis belli determinat. Plerumque cauſa belli ita comparata eſt, ut non in totum hoſtis deleri poſſit. Et tunc locum habet proverbium: *ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes; ita offendas inimicum, tanquam rediturus in gratiam.* Quandoque talionis pœnam obſervatam à Romanis teſtatur *Flor. l.* 3. *c.* 4. quando ait: *Nec aliter cruentiſſimi hoſtium, quam ſuis moribus domiti; quippe in captivos igne ferroque ſævitum eſt.* Tales enim ſunt belli mores, quales ſunt hoſtes. Elegan-

ter.

ter *Cic. l.* 1. *de offic. Ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt: ut enim cum civiliter contendimus aliter ſi eſt inimicus, aliter ſi competitor; cum altero certamen honoris & dignitatis, cum altero capitis & famæ. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur.* Ita apud *Liv. lib.* 8. Romanorum dux: *Quid ſtat miles? non cum Latino, Sabinoque hoſte res eſt, quem victum armis ſocium ex hoſte facias, in belluam ſtrinximus ferrum: hauriendus aut dandus eſt ſanguis.* Ex his facilè judicare licebit, quando vaſtationes illicitæ ſint, ſi ſc. ad finem belli vel nihil vel parum faciant & aliis modis ille obtineri poſſit Et hac in re fundata ſunt, quæ §. 2. & *ſeqq.* Author habet: ut proinde non opus ſit ad ejuſmodi ſingularia, qualia proponit, progredi. Quandoque magis ſtultitiæ quam injuſtitiæ eſt, fructibus non parcere, quibus partâ victoria frui licet. Quemadmodum de ſubditis potius, quàm de hoſtibus vindictam ſumit, qui victos enecat.

CAP.

CAP. XIII.

DIXIMVS ſupra, bella juſta eſſe ex hypotheſi ob defectum univerſalis ſocietatis: quæ multa alias injuſta & illicita juſta reddit. Dum enim quælibet Reſpl. ſuæ conſervationi & ſecuritati conſulit, abitur quandoque à juſti retributivi regulis: quod non liceret, ſi in aliquam univerſalem ſocietatem populi coiviſſent. Non ergò ex delictis hoſtium æſtimandum ſolummodo eſt, quid & quantum iiſdem auferendum, ſed ſæpè ex futurâ ſecuritate. Quod ſi ultra ea, quæ ad ſecuritatem faciunt auferendo hoſtibus progreditur victor extra peccatum non eſt.

CAP. XIIII.

VT ſervitus ſit juſta & ſalutaris cum ſubjecto tum imperanti domino, neceſſe eſt eam naturalem eſſe: quicquid enim naturæ conveniens non eſt, violentum exiſtit nec diuturum. Et maximum malum hominibus liberali ingenio præditis ſervitus eſt, utpote

quâ

quâ ex homine juramentum, ex perſonâ res & corpus redditur. Ob quam cauſam Socrates Græcis inter ſe dimicantibus jus ſervitutis denegabat, & ex ſolo cum barbaris geſto bello concedebat. *Plat. l. 5. de Republ.* Quamvis ergò gentium inſtitutum olim fuerit, captos in bello juſtè ſervire; quia tamen ſæpè capiuntur uſu rationis & prudentiâ ſufficienter inſtructi, neceſſe eſt temperamentum & æquitatem illius juris ſervari, ut quos tales deprehendimus, in ſervitutem non temerè redigamus. Ex his colligimus, non ex debiti ſive primarii ſive ſubnaſcentis quantitate, quouſque ſervitus extendenda ſit, ſed ex ingeniis hoſtium naturaliter æſtimandum eſſe. Quòd ſi quandoque accidat, hoſtes ſolvendo non eſſe, ad operarum præſtationem adigi, non in ſervitutem propterea redigi poſſunt. Nam operarum præſtatio ſervos non facit, quod ex libertorum operis perſpicere licet.

§. 3. Jurisdictionis voce abutitur Author; quia jus oeconomicum ad finitudinem tantum & æquivocè jus eſt. Nam ſervus pars domini exiſtit, in quem non rectius juriſdictionem dominus habere dicetur, quam quilibet liber homo in ſua membra. Cæterum quatenus accidit ſervo hominem eſſe, quiddam juris intercedit: ut ſcil. non temerè occidi aut quovis crudelitatis genere affici poſſit.

§. 5. In

§. 5. In iis, qui naturaliter ſerviunt, ita habenda ratio valetudinis & alimentorum videtur, ne inutiles ad ſervitia præſtanda reddantur. Intereſt enim Reipubl. & dominorum, ne rebus ſuis malè utantur.

§. 7. Cùm opinio de juſtitiâ cauſæ ab utraque pugnantium parte ſoleat obtinere, injuſtum non eſt, captos ſe ſubtrahere victoribus, utpote à quibus injuſtè ſe detineri in ſervitute exiſtiment.

§. 8. In quorum manu fuit occidere parentes & majores, iis propterea ſervitutem non debent poſteri ingenio liberali à naturâ donati. Nam peius morte eſt ſervitium hominum ad libertatem natorum.

Cap. XV.

TRadit Author, laudabile eſſe; ſi contenti victoria ab imperio in victos abſtineamus, vel recipiendo eos in civitatem, quo ipſo rem Romanam auctam hiſtorici teſtantur; aut relinquendo ipſis cum libertate imperium majorum; ita tamen ut & ſecuritati conſulatur, impoſitis præſidiis indictione tributorum, ademptione armorum. Et hoc non modò humanius, ſed & utilius quandoque eſſe, propterea quòd facilius ſit ſingula parare,

rare

rare, quàm univerſa tenere. Quod ſi verò minus tutum ſit omni in victos imperio abſtinere, monet, temperamentum adhibendum eſſe, ut aut aliquid imperii, aut leges circa res privatas & publicas minoris momenti, moreſque & magiſtratus relinquantur. Verùm fortaſſe accuratius dicemus, victores ſe debere accommodare ad ingenium eorum, qui devicti ſunt, ut, quod ſingulis eſt conveniens, imperium accommodent. Aliis enim civile, aliis herile imperium convenientius eſt, magiſque naturale. Et quamvis tyrannicum imperium ſimpliciter ſit vitioſum & præter naturam: quoſdam tamen hoc imperio regi naturaliter juſtum eſt. Declarare id exemplo ſervorum poſſumus: hominem enim omnem natura vult producere ſuæ propriæ rationi ſubjectum; at ſi aberret eadem, uſum quibuſdam rationis omnem denegando, ut inſtar beſtiarum vivant, ſubjici eos peregrinæ rationi regendos naturaliter juſtum eſt. Eodem modo in omni ſocietate barbarâ ſe res habet, ut illius imperio herili jure naturæ ſubijciatur:eamque ſi velis liberorum hominum in modum tractare, naturæ nihil conveniens facies: quinimò peccabis relinquendo ejuſmodi hominem ſibi ipſi. Quòd ſi ergò devicti ſervili ſint ingenio, aut volentibus ipſis Rex barbaricus, aut nolentibus tyrannus præficiendus erit; aliàs enim nec

victores,

victores; nec ipſi qui devicti ſunt, ſalvi eſſe poterunt. Devictis liberali ingenio præditis, nec aliud quam civile imperium admittentibus, non quidem libertas cum imperio adimenda eſt; aſſuefaciendi tamen ſunt ſocietati univerſali, ut judicio ſe ſubjiciant, in quo ſi imposterum lites obventuræ ſint, eædem decidantur. Circa cujus conſtitutionem victor ita verſari poteſt, ut ſibi quandam prærogativam in judicibus eligendis & aliis rebus ordinandis tribuat. Nec grave hoc victis eſſe poteſt, ſi ipſe victor eidem judicio ſe ſubjiciat. His enim obſervatis, & ſi cujus populò tribuatur, quod ipſius naturæ conveniens eſt; & fidam & diuturnam fore pacem nullum dubium eſt. Ex his proprie manifeſtum eſt, dicta quædam quæ Author citat, v. g. ex Saluſtio: *populo Romano melius viſum amicos quàm ſervos quærere &c.* non temerè quibuſlibet populis applicari poſſe, ſed ſingulorum inſpiciendum eſſe ingenium, & quale imperium cuilibet conveniat, hoc ei eſſe attribuendum.

Cap.

Cap. XVI.

Quæ bello injuſto quæſita ſunt, reſtituenda eſſe tradit Author & quidem non modò ab iis, qui ipſi ceperunt, ſed & ab aliis, ad quos quoquo modo res illæ pervenerunt; cùm ab iis qui dominium non internũ ſed externum id eſt poſſeſſionem tantùm habuerunt, rem acceperint: hos enim dominium etiam externum tantum non internum habere, quo adverſus quoſcunque alios, non adverſus verum dominum ſe tueri poſſint. Circa hoc quæri poteſt 1. quid per injuſtum bellum intelligatur. cùm enim uti in ſubeundo judicio, ita & in bello ſuſcipiendo opinio bona de cauſæ juſtitiâ ſufficiat; videtur fieri poſſe, ut bellum ſit quidem injuſtum quando opinio de juſtitiâ cauſſæ eſt falſa, non tamen injuſtè geratur. Nam adhoc ut injuſtè geratur, requiritur ſcientia de injuſtitiâ cauſſæ. De quonam ergò injuſto bello Author loquatur obſcurum adhuc eſt: ſi eum, qui bonâ opinione bellum aggreſſus magnas fecit impenſas, poſtquam fortaſſe cognovit, ſe juſtam cauſam bellandi non habuiſſe, vult teneri reſtituere, quod ab hoſtibus cepit, non detractis prius impenſis; durum videtur.

tur. 2. Quæri etiam poteſt, an nulla differentia facienda ſit inter eos, quorum auctoritate bellum eſt geſtum, & eos qui ſuum præbuêre miniſterium; quorum non eſt, de iis quæ à ſummâ poteſtate fiunt judicium ferre. Non enim hi, quod laboribus ſuis in bello ſibi acquiſiverunt, ex accidenti ob injuſtitiam cauſæ, æquè ac principales ad reſtituendum teneri videntur.

§. 3. Diſtinguendum hîc videtur inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem: hunc enim ſine pretii recuperatione ad reſtituendum teneri veroſimile eſt; quia ſibi aſſcribere debet, quòd ſciens à non-domino rem ſibi comparaverit. Bonæ fidei poſſeſſor autem vel habet regreſſum adverſus eum, à quo rem conſecutus eſt & ita quidem, ut ſine periculo pretium à vendente recuperare poſſit, eoque caſu verus dominus vindicans res ſuas pro reſtitutione earundem nihil præſtare tenetur; vel non habet regreſſum, & æquum eſt, ſi aliàs nec dominus res ſuas recuperare potuerit, ei à domino quid ſolvi pro ratione circumſtantiarum.

§. 5. De his diſſeruimus ſuprà *lib.* 2. *c.* 4.

Cap.

Cap. XVII.

Neceſſitatem etiam ſummam nihil juris parere poſſe, ad auferendum quod alterius eſt, ſed tantummodo veniam conciliare delinquentibus, ſupra *lib.* 2. *c.* 2. §. 6 *& ſeqq.* demonſtravimus.

Cap. XVIII.

Privati aut ſunt peregrini aut cives illius civitatis quæ bellum gerit: neutri horum adverſus hoſtem quicquam injuſſu ſummæ poteſtatis, aut ejus, qui loco illius imperat, tentare licet. Nam quod peregrinos concernit, licet inter bellantes ſocietas humana diſſoluta ſit; non tamen cuivis propterea quidvis perpetrare in eos licet, niſi auſu alterutrius partis illud faciat. Civium verò actiones omnes naturaliter ab eo qui ſummam poteſtatem habet, velut à mente dirigente dependent.

§. 3. Periculum vitæ æſtimationem non recipit, adeoque prædæ inæqualitas jure naturæ inde oriri nequit.

Cap.

Cap. XIX.

EGregia ſunt quidem, quæ hiſtorici & poetæ de fide ſervanda prædicant: at quæ ratio ſit, quare etiam ii, qui bella inter ſe crudeliſſima gerunt & humanam ſocietatem ſolverunt illius obſervantes eſſe debeant, obſcurum eſt. Quorum enim vitæ boniſque inſidiari fas eſt, quomodo ii ratione fidei inviolabiles erunt? Non ſatisfacit nobis Autor, quando dicit in bello cum hominibus, qui juris ex promiſſo capaces ſunt, rem eſſe; inter quos cum ſit ſocietas rationis & ſermonis, unde obligatio ex promiſſione naſcatur, fidem etiam ſervandam eſſe. Nam hominum jus non tantùm ſingulos ad promiſſa ſervanda, ſed etiam adhoc, ut neuter alterum lædat, obligat. Et ita ſi fidem fallere ex eo fundamento injuſtum eſt, etiam omnia bella erunt injuſta. Præterea oſtendimus ſuprà *cap.* 11. *lib.* 2. non ex ſolâ vi ſermonis promiſſi obligationem proficiſci. Fortaſſe ergo rectius dicetur, cauſam, quare fides ſervanda ſit hoſtibus, hanc eſſe: quod diſſolutâ humanâ ſocietate liceat quidem hoſtibus commutationes ſpontaneas denegare, adeò, ut ad emptionem venditionem, locationem conductionem

ductionem poſſint non admitti : ſi tamen cum iis contractum ſit, ſervandus erit contractus ; quia quoad hoc à ſtatu diſſolutæ ſocietatis humanæ abitum eſt : promittere enim hoſtis quippiam, eſt ſocietatem aliquam humanam, quoad promiſſum cum ipſo inire, à quâ recedere nec ſatisfacere officio ratione illius initæ ſocietatis competenti, eſt ſocietatem humanam lædere. Hoſti ergo non ut tali, quod ſed ut homini, cum quo intercedit quoad id, ſub contractum venit, ſocietas humana ; fides ſervanda eſt.

§. 2. & 3. An piratis ſervanda fides ſit, diſceptat, tandemque diſtinguendo concludit, ſetvandam eſſe, ſi cum piratis ut talibus contractum ſit ; non eſſe ſervandam, ſi non ut cum maleficis actum ſit. At hæc diſtinctio ex rationibus dubitandi ab Authore propoſitis uon fluit: pro affirmativâ enim utitur, eâ ratione, quod piratæ habeant communionem juris naturalis : pro negativâ, quod piratæ ab omnibus hominibus puniri & per conſequens iiſdem res & jura auferri poſſint. Quis quæſo ex his colligeret eo modo, ut Author facit, diſtinguendum eſſe? Quia vero ex noſtro fundamento res clara & perſpicua eſt, indicium ſatis firmum nobis præbetur, veram cauſam nos reperiſſe. Nam licet propter vitium dignus non ſit jure aliquo humano : eo ipſo tamen, cum quis

ſciens

§ 12. Eſt hoc ex naturâ belli, ut, quod quiſque conſecutus eſt, retineat, niſi expreſſè aliter convenerit, uti & quod Autor §. 15. tradit.

§ 43. Non eſſe abſurdum, hominem ſuæ vitæ dominum vocari, in ſuperioribus demonſtratum eſt: adeoque rectè aſſeritur, quemlibet eam pro patriâ profundere poſſe.

§ 48. Poſſeſſoria judicia ad eos pertinent, qui ſuo imperio vim addere poſſunt; mittere enim in poſſeſſionem magis imperii eſt, quàm jurisdictionis *l. 4. ff. de Iuriſd.* at tale quippiam arbitrio non competit. Et hinc putamus fieri, quod arbitri ſit, de proprietate tantùm decernere.

Cap. XXI.

§ 1. Induciæ actum ſecundum belli, manente actu primo ſuſpendunt. Hoſtes enim permanent, licèt non pugnent. Quemadmodum dormiens eſt geometra licèt non ſpeculetur.

§ 2. Rectè Autor ex definitione induciarum colligit, quid per inducias liceat vel non: Omnes ſcilicet actus ex diſſolutâ ſocietate provenientes, quibus hoſtibus nocemus, tempore induciarum prohibiti ſunt. Reliqua, quæ & in hoc & ſeqq. tribus capitibus proponun-

tur, partim obvia; partim in ſuperioribus examinata ſunt.

CAP. ult.

COncluſio hoc in capite habetur operis, cum monitis ad fidem & pacem. Nos ulterius progreſſi, cùm vis in bello eminens ferinum quid ſit; omnes Reges Principeſque, qui charitatis chriſtianæ cultores audire volunt, non hoc tantùm monere neceſſarium duximus, ut fidem & pacem omnibus modis ſervent, ſed etiam ut bella à civitate chriſtianâ repellant & in barbarorum colluviem detrudant; ipſi verò arctiſſimam & ſocietatem & amicitiam colentes controverſias, ſi quandoque oriantur, per judicia ad hoc conſtituta componant, eoſque qui nondum chriſtianam religionem amplexi ſunt ad ſimilem manſuetudinem aut exemplo ſuo excitent, aut arripientes imperium naturâ in eos ſibi tributum vi compellant.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

